MASTER NEGATIVE

NO. 93-81550-11

AUTHOR:

KRAMER, CARL HEINRICH

TITLE:

DE PRIORE DEMOSTHENIS ...

PLACE:

WEIDAE THURINGORUM

DATE:

1930

Master Negative #

93-81550-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88DX
DK

Kramer, Carl Heinrich, 1903-
De priore Demosthenis adversus Aristogitonem oratione; dissertatio inauguralis quam... scripsit Carolus Henricus Kramer. Weidae Thuringorum, typis expresserunt Thomas et Hubert, 1930.
78 p. $23\frac{1}{2}$ cm.

"Index librorum", p. [5]
Thesis, Leipzig, 1930.

534660

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/6/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PRIORE DEMOSTHENIS ADVERSUS ARISTOGITONEM ORATIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

CAROLUS HENRICUS KRAMER

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXXX

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Koerte et Bethe.

Lipsiae, D. VI. M. Febr. A. MCMXXX.

Decano Goetz.

Argumentum.

Index librorum.

Fridericus Blass, Die attische Beredsamkeit, III², Leipzig 1893—1898.
Reinholdus Braun, De duabus adversus Aristogitonem orationibus, Gryphiswaldiae 1873.
Ivo Bruns, Das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896.
Hermannus Lipsius, Über die Unechtheit der ersten Rede gegen Aristogeiton, Leipziger Studien VI (1883), pg. 319—331.
Maximilianus Pohlenz, Anonymus *περὶ νόμων* (Göttinger Nachrichten 1924).
Richardus Schläfke, De Demosthenis quae dicuntur adversus Aristogitonem orationibus, Gryphiae 1913.
Hugo Stier, De scriptore prioris adversus Aristogitonem orationis, quae Demosthenis esse fertur, Halis Saxonum 1884.
Richardus Wagner, De priore quae Demosthenis fertur adversus Aristogitonem oratione, Cervimontii 1883.
Henricus Weil, Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 285—350, Paris 1886.

1.

Utrum Demosthenis sit prior oratio contra Aristogitonem habita necne, iterum inquiram; nam per hos quadraginta annos perpauci uberius de hac re disseruerunt, cum antea per totum saeculum, et quomodo essent interpretandae singulae orationis partes et quis esset auctor, viri docti certaverint. Orationem Demosthenis eloquentiae maxime egregium exemplum esse Dionysio Halicarnassensi excepto veteres[1] censent, recentes eam a Demosthenis scribendi ratione

---

[1] *Περὶ ὕψους* 27, 3: *ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένης κατ' ἄλλον τινὰ τρόπον ἐπὶ τοῦ Ἀριστογείτονος ἐμπαθὲς τὸ πολυπρόσωπον καὶ ἀγχίστροφον παρέστακεν. 'καὶ οὐδεὶς ὑμῶν χολὴν' φησίν 'οὐδ' ὀργὴν ἔχων εὑρεθήσεται ἐφ' οἷς ὁ βδελυρὸς οὗτος καὶ ἀναιδὴς βιάζεται; ὅς, ὦ μιαρώτατε ἁπάντων, κεκλεισμένης σοι τῆς παρρησίας οὐ κιγκλίσιν οὐδὲ θύραις, ἃ καὶ παρανοίξειεν ἄν τις . . .' ἐν ἀτελεῖ τῷ νῷ ταχὺ διαλλάξας καὶ μόνον οὐ μίαν λέξιν διὰ τὸν θυμὸν εἰς δύο διασπάσας πρόσωπα 'ὃς ὦ μιαρώτατε' εἶτα τὸν πρὸς τὸν Ἀριστογείτονα λόγον ἀποστρέψας καὶ ἀπολιπεῖν δοκῶν, ὅμως διὰ τοῦ πάθους πολὺ πλέον ἐπέστρεψεν.*

Plin. Ep. IX 26, 8: Sed Demosthenes ipse, ille norma oratoris et regula, num se cohibet et comprimit, cum dicit illa notissima . . . (Sequuntur complures loci orationum XIII, IV, XIX, II, tum pergit Plinius § 9.) Simile his '*ἀπεσχοινισμένος ἅπασι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις*' (XXV § 28), et ibidem '*σὺ τὸν εἰς ταῦτα ἔλεον προδέδωκας, Ἀριστογεῖτον, μᾶλλον δ' ἀνῄρηκας ὅλως. μὴ δὴ πρὸς οὓς αὐτὸς ἔχωσας λιμένας καὶ προβόλων ἐνέπλησας, πρὸς τούτους ὁρμίζου*' (XXV § 84), et dixerat '*τούτῳ δ' οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα*' (§ 76). et deinceps '*δέδοικα μὴ δόξητέ τισι τὸν ἀεὶ βουλόμενον εἶναι πονηρὸν τῶν ἐν τῇ πόλει παιδοτριβεῖν*' (§ 7), nec satis '*οὐδὲ γὰρ τοὺς προγόνους ὑπολαμβάνω τὰ δικαστήρια ταῦτα ὑμῖν οἰκοδομῆσαι, ἵνα τοὺς τοιούτους ἐν αὐτοῖς μοσχεύητε*' (§ 48), ad hoc '*εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας καὶ παλιγκάπηλος καὶ μεταβολεύς*' (§ 46) et mille talia, ut praeteream quae ab Aeschine *θαύματα*, non *ῥήματα* vocantur.

Phot. Bibl. 491 a, 29 sqq. (Bekker): *εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τοὺς δύο τοὺς κατὰ Ἀριστογείτονος ὡς νόθους παραγράφονται· ἀλλ' οὗτοι καὶ ὀρφανοὺς αὐτοὺς ἀφιᾶσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τοὺς τεκόντας· ὧν εἷς γέγονε καὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεύς, οὐδὲν μέγα τεκμήριον τῆς ἰδίας ὑπολήψεως παρεχόμενος, οὐδὲ ἐκεῖνο συνιδεῖν ἐθελήσας ὡς πολλῷ μείζων ἐστὶν ἤπερ ἡ ἐκείνου ἀπόφασις αὐτὸς ὁ Ἀριστογείτων ἀνομολογῶν Δημοσθένην κατ' αὐτοῦ γεγραφέναι· καὶ γὰρ ἀπολογούμενος οὐκ ἐν τῷ παρέργῳ λέγων ἀλλ' ἐπιμελῶς ἀνταγωνιζόμενος ἐν τῷ λόγῳ δείκνυται, ὃς ἐπιγέγραπται ἀπολογία πρὸς τὴν ἔνδειξιν Λυκούργου καὶ Δημοσθένους.*

Dionysius Halicarnassensis, *Περὶ τ. Δημοσθ. λέξεως* 57: *εἰ μέντοι τινὲς ἐν τοῖς ψευδεπιγράφοις εἰσὶ λόγοις ἀηδεῖς καὶ φορτικαὶ καὶ ἄγροικοι κατασκευαί, ὡς ἐν*

abhorrere affirmant. Post Demosthenis mortem a falsario compositam esse orationem Antonius Westermann[1], Arnoldus Schaefer[2], Richardus Wagner[3], Hermannus Lipsius[4], Maximilianus Pohlenz[5] putant. Non accurate definit Hugo Stier[6], quo tempore Aristogitonia scripta sit. Contra Reinholdus Braun[7] et Richardus Schläfke[8] Demosthenis

τοῖς κατ' Ἀριστογείτονος β' ... ἐν ἄλλοις τε συχνοῖς, οὓς ὁ Δημοσθένης οὐκ ἔγραψεν, ἐν ἑτέρᾳ δηλοῦταί μοι πραγματείᾳ τὰ περὶ Δημοσθένη.

[1] Quaestiones Demosthenicae III, pg. 103: „Atqui fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere, auctore Quintil. II 4, 41, circa Demetrium Phalerea institutum fere est. — Talem igitur declamationem esse puto Aristogitoniarum primam.“

[2] Demosthenes und seine Zeit III[1] 2, pg. 126: „Denn wer irgend die Rede prüft, wird nicht daran zweifeln, daß Dionysius sie mit Recht Demosthenes abgesprochen hat, sondern wird in ihr ein rhetorisches Werk der älteren alexandrinischen Zeit erkennen, wie dies auch Böckh (Urkunden zum attischen Seewesen, pg. 538 sqq.) ausgesprochen hat.“

[3] De priore quae Demosthenis fertur adversus Aristogitonem oratione, Cervimontii 1883, pg. 48: „Ante Callimachi aetatem orationem ortam esse certum est. Restat igitur temporis spatium septuaginta fere annorum, quo oratio composita esse potest (320—250 a. Chr. n., accuratius tempus definiri nequit). Wilamowitzius (Index scholarum Gryphiswaldiae 1879/80 sem. hib., pg. 10) suspicatus est Rhodi vel Cauni eam scriptam esse. Causam non attulit, cur hoc putaret, tamen sunt nonnulla, quae pro hac sententia pugnare videntur.“

[4] Leipziger Studien 6, pg. 331: „Wenn Cobet die Möglichkeit solcher Erdichtung überhaupt leugnet und in dem Detail mancher Mitteilungen einen untrüglichen Beweis für die Verfasserschaft eines Zeitgenossen finden will, so ist das offenbar eine petitio principii, die man mit gleichem Recht zugunsten der meisten Fälschungen wenden könnte.“

[5] Göttinger Nachrichten 1924, pg. 22: „Danach werden wir § 14 eher einem Rhetor zu geben haben, der sich wohl bewußt ist, daß die theoretischen Erörterungen, die er bringen will, nicht recht zum Ton der aktuellen Rede passen.“ Doleo Maximiliani Pohlenz libellum doctissimum demum post confectam fere dissertationem mihi innotuisse, ita tamen ut eum multis locis respicere possem.

[6] De scriptore prioris adversus Aristogitonem orationis, quae Demosthenis esse fertur, Halis Saxonum 1884, pg. 37: „Quod huius orationis habitus et color iidem fere sunt qui orationum forensium, quod tanta diligentia orator utitur in testibus et documentis afferendis, id eo minus mirabimur, quo propius orationem a Demosthenis aetate abesse existimabimus; sed ne hac quidem de re quicquam certi dici potest.“

[7] De duabus adversus Aristogitonem orationibus, quas Demosthenes scripsisse fertur, Gryphiswaldiae 1873, pg. 45: „Demonstrare enim studebam neque sermonem neque res ab ea aetate, qua Lycurgus Aristogitoni litem intendit, abhorrere. Unde mea quidem sententia sequitur orationem in illa ipsa causa a patrono quodam habitam esse.“

[8] De Demosthenis quae dicuntur adversus Aristogitonem orationibus, Gryphiae 1913, pg. 103: „Deinde ex delectu et constructione verborum, periodorum structura, ex prava argumentatione, alteram (or. XXV) abundantia, alteram

aequalem operis auctorem fuisse dicunt. Carolus Cobet[1] denique Johannem Jacobum Reiske secutus Hyperidi orationem tribuit. Nuper Guilelmus Schmid[2] et Albrechtus Dieterich[3] orationem non esse Demosthenis dixerunt. Secuti sunt maiorem partem veterum scriptorum Augustus Schmidt[4], Fridericus Gustavus Kiessling[5], Henricus Weil[6], Fridericus Blass[7]. Hic quidem contendit Demosthenem orationem quasi declamationem scripsisse. At quis credat Demosthenem senem exercitationis causa orationem perlongam composuisse?

De tempore omnes, qui orationem genuinam putant, fere consentiunt. Proficiscendum est a loco Dinarchi II § 13 *οὐ τὸ τελευταῖον οὗτος ἐνδειχθεὶς ὑπὸ Λυκούργου καὶ ἐξελεγχθεὶς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ λέγειν οὐκ ἐξὸν αὐτῷ καὶ παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα κατὰ τοὺς νόμους, περιπατῶν ἔμπροσθεν τῶν δικαστηρίων <ἑωρᾶτε> καὶ εἰς τὴν προεδρίαν τῶν πρυτάνεων ἐκάθιζε*; Dubium non est, quin Dinarchi verba spectent ad eam causam, in qua post Lycurgum primum locutum Demosthenes secundo loco Aristogitoniam habuisse dicitur, praesertim cum in vicesima quinta oratione idem fere afferatur § 4 *οἱ μὲν δικάσοντες ὑμεῖς ἥκετε μᾶλλον ἡμῶν τῶν κατηγόρων εἰδότες, καὶ ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ τοῦτον καὶ ἐγγεγραμμένον ἐν ἀκροπόλει καὶ οὐκ ἐξὸν αὐτῷ*

(or. XXVI) exilitate dictionis a Demosthenis consuetudine dicendi eas abhorrere vidimus. Rursus autem eorum, quae spectant ad res, nihil ita aliena esse ab iis temporibus, quibus acta est lis Aristogitonia, invenimus, ut has orationes ab aequalibus Lycurgi et Demosthenis habitas esse negandum sit. Nec magis e dictione argumenta sumi possunt, quibus eas posteriore aetate a rhetore quodam compositas esse censeamus.“

[1] Miscellanea critica, pg. 575: „Cum his omnibus opinionum commentis et erroribus acriter depugnavit Reiskius, quo iudice verus orationis auctor est Hyperides habendus, cui equidem et olim et nunc ex animi sententia assentior.“

[2] Christ-Schmid, Geschichte der griechischen Literatur I[6] (1912), pg. 602.

[3] Nekyia[2] 1913, pg. 136—139.

[4] Dinarchi orationes tres, pg. 117: „Facile itaque intellegitur Demosthenem re vera illius orationis (sc. Aristogitoniae prioris) esse auctorem.“

[5] Quaestionum Atticarum specimen, praecipue pg. 5—7.

[6] Henricus Weil ter de hac quaestione disseruit, primum in Les plaidoyers politiques de Démosthène II, notice pg. 287—303, iterum in Revue de Philologie VI (1882), pg. 1—21, tertium in Mélanges Renier (1887), pg. 18—24. Optime dicit in Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 294: „La discussion nous a ramené au sentiment qui prévalait dans l'antiquité. Si notre discours n'est ni une déclamation d'école, ni l'o euvre d'un contemporain de Démosthène, force nous est de l'attribuer à Démosthène lui-même.“

[7] Revue de Philologie XI (1887), pg. 139: „Scripsit hanc orationem, sed non ut haberetur neque ut ederetur. Cur igitur scripsit? Animi vel exercendi causa, id quod omnes oratores antiqui factitarunt.“

λέγειν. Ex Dinarchi igitur oratione comperimus Aristogitonem ante causam Harpalicam a Lycurgo in ius vocatum esse, id est ante 323, quo anno Demosthenes aliique damnati sunt[1]. At Fridericus Gustavus Kiessling, ut post quem terminum lis Aristogitonia acta esset exponeret, enixe operam dedit. Denique haec concludit pg. 8/9: „Adducti sumus igitur ad Olymp. CXII annum fere tertium (330/329), ante quem oratio non potuisse haberi videatur". Testimonio ei sunt cum alia tum Aristogitoniae paragraphi 37, 38, 42. Sed qui Dinarchi verba (*οὐ τὸ τελευταῖον* . . .) leget, putabit litem Aristogitoni a Lycurgo intentam brevi ante actam esse. Quia vero Lycurgus ante autumnum anni 324 mortuus est, rem ante illud tempus diiudicatam esse necesse est. Itaque eam anno 325 exeunte vel ineunte 324 actam esse verisimile est.

Ut totam quaestionem denuo tractarem, potissimum me commoverunt quaestiones, quas Fridericus Vogel[2] de vitatis a Demosthene syllabis brevibus cumulatis instituit. Vogel, Friderici Blass vestigia secutus, accuratissime ostendit Demosthenem in omnibus fere orationibus, exceptis eis quas adulescens habuit, plus tres syllabas breves continuas fugisse. Haec lex in nulla oratione a Demosthene certis argumentis abiudicata observatur neque in Hegesippi oratione de Halonneso (20,93 %) neque in oratione contra Theocrinem (23,89 %) neque in oratione contra Neaeram (17,05 %) neque in reliquis, quae non Demosthenis sunt. Laudatio funebris sola ab hac regula adhuc abhorrere videbatur. At nuper Johannes Sykutris[3] demonstravit etiam hanc orationem a Demosthene esse compositam. Inter recentiores oratores unus Aristides legem omnino curavit. At Aristogitonia prior in hac re plane cum Demosthenis usu congruit, Aristogitonia altera illam legem minime observat. Ergo altera sine dubio spuria est, prioris fides observatione Friderici Vogel valde firmatur. Iam non nisi gravissimis argumentis prolatis eam Demostheni abrogare licet[4]. Fusius de hac re infra (pg. 60/61 agam).

[1] De tempore causae Harpalicae agunt Carolus Adams, Transactions and Proceedings of the American philological Association XXXII (1901), pg. 131/132; Alfredus Koerte, Neue Jahrbücher für das klassische Altertum LIII (1924), pg. 219—231; Helmutius Berve, Das Alexanderreich II, pg. 78/79.

[2] Hermes LVIII (1923), pg. 87—108, potissimum pg. 94/95. De rhetore Aristide cf. pg. 105.

[3] Hermes LXIII (1928), pg. 241—258.

[4] Maximilianus Pohlenz Friderici Vogel observationes paulo ante editas nondum respexit.

Quae cum ita sint, denuo eorum argumenta examinanda sunt, qui orationem Demosthenis esse negant, permoti et rebus in oratione prolatis et auctoris ratione scribendi. Quamquam Hermannus Lipsius, Augustus Boeckh, Richardus Wagner, Maximilianus Pohlenz multa invenisse sibi persuaserunt, quae iuri Attico vel institutis publicis Atheniensium repugnant, tamen mihi multo graviora esse videntur argumenta ex scribendi ratione petita. Iure ac merito omnes fere commentatores reprehendunt, quod translationes in oratione supra modum usurpantur atque adhibentur saepenumero voces, quibus nusquam alibi Demosthenes utitur. Non raro voces repetuntur interdumque cumulantur obsecrationes. Inveniuntur denique tot variorum generum figurae, quot in nullo alio opere Demosthenico. Inquirenda sunt et naec et illud, quod Arnoldus Schaefer (III 2², pg. 124) his verbis vituperat: „Vor allem gefällt er (der Verfasser) sich in Kraftausdrücken, und dementsprechend ist der Stil überladen, schwülstig und hochtrabend. Dieser Schreibweise haben manche Rhetoren Beifall gezollt . . ., aber im Vergleich mit der edlen und doch so gewaltigen Kunst des Demosthenes können wir darin nur die Entartung erblicken, wie sie nach dem Verfall der öffentlichen Beredsamkeit in den Redeschulen um sich griff." Praeter Arnoldum Schaefer Richardus Wagner et Reinholdus Braun, cum haec convicia reiecerint, orationem Demosthenis esse negant[1]. Concedit quidem Henricus Weil voces vehementes a Demosthenis loquendi ratione videri dissentire, sed dicit similes inesse etiam in oratione duodevicesima[2]. In Aristogitonia vero multa convicia esse putat, quia nonnullis annis post duodevicesimam orationem scripta sit[3]. Suspicatur enim Athenis ipsis clade aqud Chaeroneam accepta factiones exstitisse, quae acerrime inter se certavissent. Quo factum esse, ut etiam in iudicio maiore cum acerbitate et invidia causae dicerentur.

[1] Richardus Wagner, pg. 42: „Sed iam satis bene huius magnisonae orationis indolem perspeximus, quae quamvis vehementibus verbis incedat, tamen multis locis eas ineptias continet, quae oratorem verum admisisse omnino cogitari nequit." Reinholdus Braun, pg. 4: „Concedo ne Demosthenem quidem, cum cives de rebus publice gestis accusaret, continere se potuisse, quin in privatam simul et domesticam eorum vitam inveheretur (cf. XVIII, §§ 129 sqq., 258 sqq.). Verum tantam accusandi libidinem, quantam in hac oratione deprehendimus, haud facile apud illum invenias."

[2] Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 294—296.

[3] Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 294—295: „Répétons d'abord que les différences entre ce discours (XXV) et les autres discours de Démosthène ne sont pas radicales, mais rélatives."

2.

Non sufficit, ut XVIII. et XXV. orationes comparemus, omnes corporis Demosthenici orationes examinandae sunt, ut intellegamus, quomodo haec ratio maledicendi orta et exculta sit. Sed rationem habebo tantum contionum et orationum iudicialium publicarum, quia in orationibus privatis Demosthenes ceterique conviciari non desinunt. Ac primum quidem perquiram, utrum Demosthenes in contionibus adversariis maledicat necne, deinde utrum orationes iudiciales publicae, in quibus etiam Aristogitonia numeranda est, convicia contineant necne.

In primis contionibus de classibus (XIV), pro Megalopolitis (XVI), pro Rhodiorum libertate[1] (XV) habitis, quae nondum ad Philippum pertinent, maledicta desunt. Fortasse offendas in XIV § 39 *ἀλλ' ὅτι, εἰ μὲν μὴ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοίως αἰσχρὸν ἦν τὸ ψεύδεσθαι καὶ ἐπιορκεῖν ὥσπερ ἐκείνῳ* (i. e. *βασιλεῖ*) *καλόν, πάλαι ἂν ἐπ' αὐτὸν ὑμεῖς ἐπορεύεσθε.* Idem fere orator Philippo crimini dat in II § 10 *οὐ γάρ ἔστιν . . . ἀδικοῦντα καὶ ἐπιορκοῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι,* ubi iisdem vocabulis *ψεύδεσθαι* et *ἐπιορκεῖν* utitur. Fere iisdem annis oratio tertia decima composita est, plerisque viris doctis diu suspecta[2]. Huius quoque orationis fides non solum Friderici Vogel quaestionibus (cf. pg. 94), sed etiam aliis argumentis nuper a compluribus viris doctis defensa est[3]. Qua de causa nonnullos orationis locos tractabo. Scriptum invenimus in § 24 *φθόρους ἀνθρώπους οἰκοτρίβων οἰκότριβας τιμὴν ὥσπερ ἄλλου του τῶν ὠνίων λαμβάνοντες ποιεῖσθε πολίτας.* Quin etiam ut Megarensium malitiam significet, vocem *κατάρατοι* usurpat, quae in ceteris contionibus, quamquam Demosthenes saepius in orationibus iudicialibus publicis adhibet, non redit. Accedit vox *φθόρος*, quae translate usurpata vim maledicendi

[1] Orationis tempus Udalricus Kahrstedt (Die Politik des Demosthenes, Berlin 1910, pg. 23) definit.

[2] F. Blass, Die attische Beredsamkeit III 1^2, pg. 401—403.

[3] Post Udalricum de Wilamowitz, qui cautius de eius origine iudicavit (Aristoteles und Athen II, pg. 215sqq.), orationem genuinam esse contenderunt Carolus Hahn (Demosthenis contiones num re vera in contione habitae sint, Gissae 1910, pg. 61sqq.), Josephus Heimer (De Demosthenis oratione XIII, Monasterii 1912), Engelbertus Drerup (Aus einer alten Advokatenrepublik, Paderborn 1916, pg. 68sqq.), A. Rupprecht (Philologus 82 (1927), pg. 424, adn. 209), Fridericus Focke (Demosthenesstudien, Tübinger Beiträge zur Altertumswissenschaft, Heft 5, pg. 12).

habet. Quae cum ita sint, negare non possum hanc orationem aliquantum a tribus praecedentibus differre. At in prima Philippica omni ratione maledicendi orator abstinet, quamquam Atheniensium ignaviam et iactationem reprehendit (§§ 37, 42—49). His in vocibus § 9 *ὁρᾶτ' . . . οἷ προελήλυθε ἀσελγείας ἄνθρωπος, . . . ἀλλ' ἀπειλεῖ καὶ λόγους ὑπερηφάνους ὥς φασι λέγει* vel § 37 *ὁ δ' εἰς τοῦτ' ὕβρεως ἐληλύθει* (cf. §§ 3, 50) vix offendamus. Mirum non est Demosthenem, ubi regis mores describere conatur, interdum et eum calumniari et Athenienses ipsos propter inertiam increpare (cf. III §§ 16, 27, 29; II §§ 26, 29 aliaeque). At memoria dignum est, quod primum in III § 16 Philippum barbarum appellet, quod vocabulum postea saepius usurpat. Utitur in I § 23 voce *ἄνθρωπος ὑβριστής*, ut Philippi mores depingat.

Multo acrius in secunda oratione Philippum insectatur praeter illud, quod iam supra commemoravi (II § 10). Quomodo rex ex parvo magnus factus sit, ita in § 7 describit: *ὅλως δ' οὐδείς ἐστιν, ὅντιν' οὐ πεφενάκικεν ἐκεῖνος τῶν αὐτῷ χρησαμένων* vel in § 9: *ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ὥσπερ οὗτος ἰσχύσῃ* (cf. §§ 5, 6). Porro plenae sunt maledictorum paragraphi 18—21, in quibus regis eiusque comitum rationem vivendi demonstrat (*λοιποὺς δὴ περὶ αὐτὸν εἶναι λῃστὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦθ' οἷ' ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι*). Haec magna ex parte oratorem mentitum esse iam eo cognoscitur, quod et initio § 17 *ὡς δ' ἐγὼ . . . τινὸς ἤκουον ἀνδρὸς οὐδαμῶς οἵου τι ψεύδεσθαι* et in fine § 19 *δῆλον δ' ὅτι ταῦτ' ἐστιν ἀληθῆ* voces suas veras esse testatur. Minime dubitandum est, quin Demosthenes regem eiusque comites hoc loco increpare coeperit. Iam id agit, ut adversarius Atheniensibus omnium hominum scelestissimus esse videatur[1].

In tribus ceteris Philippicis praecipue eos, qui Macedonum partibus student, proditores aut regis mercenarios vocat in IX § 49 *ὁρᾶτε . . . τὰ πλεῖστα τοὺς προδότας ἀπολωλεκότας, οὐδὲν ἐκ παρατάξεως οὐδὲ μάχης γιγνόμενον* (cf. IV § 18) vel in § 54 . . . *ἀλλ' εἰς τοῦτ' ἀφῖχθε μωρίας ἢ οὐκ ἔχω τί λέγω ὥστε λοιδορίας, φθόνου, σκώμματος ἧστινος ἂν τύχηθ' ἕνεκα αἰτίας ἀνθρώπους μισθωτούς, ὧν οὐδ' ἂν ἀρνηθεῖεν ἔνιοι ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι, λέγειν κελεύετε καὶ γελᾶτε, ἄν τισι λοιδορηθῶσιν.* Optime demonstratur decima oratione, in qua de Aristomede agit

[1] Ivo Bruns (Das literarische Porträt der Griechen, pg. 576—578) demonstrat Demosthenem mendacia proferre veritum non esse.

(§§ 70—73), Demosthenem maledicere coepisse. Dicit enim et alia et haec: *σοὶ μὲν γὰρ ἦν κλέπτης ὁ πατήρ, εἴπερ ἦν ὅμοιός σοι* (§ 73). Incipit igitur etiam maiores adversarii conviciis afficere. Qua ratione adversario obtrectandi in orationibus iudicialibus publicis multo saepius usus est. Philippo ipsi in tertia Philippica non minus quam Aristomedi maledicit in § 31 *ἀλλ' οὐχ ὑπὲρ Φιλίππου καὶ ὧν ἐκεῖνος πράττει νῦν, οὐχ οὕτως ἔχουσιν, οὐ μόνον οὐχ Ἕλληνος ὄντος οὐδὲ προσήκοντος οὐδὲν Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐδὲ βαρβάρου ἐντεῦθεν ὅθεν καλὸν εἰπεῖν, ἀλλ' ὀλέθρου*[1] *Μακεδόνος, ὅθεν οὐδ' ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον πρίασθαι.* Haec convicia sunt tam manifesta, ut nihil mihi addendum esse putem. Restat, ut contionum quintam et octavam inquiramus! Quamvis Athenienses acriter vituperet (VIII §§ 28, 29, 34, 52, 61), quamvis Philippum nihil nisi mala cogitare contendat (VIII §§ 39, 40, 50, 60), tamen a vocibus contumeliosis temperat. Qua ex re apparet eum in contionibus studere, ut conviciis abstineat, quamquam interdum, ubi inimicorum mores describit, adversariis maledicere incipit.

Multo maiore diligentia orationes iudiciales publicae inquirendae sunt, quibus etiam Aristogitonia prior attribuenda est. Itaque mea multum interest in his singula accurate perscrutari atque quaerere, utrum maledicta sint similia Aristogitoniae maledictorum necne. Sed quia vicesima secunda triginta fere annis ante Aristogitoniam confecta est, in orationibus tractandis temporis ordinem sequar. Verisimile enim est hoc temporis spatio Demosthenis rationem scribendi non eandem mansisse. Aegre fero, quod primarum orationum iudicialium publicarum sola vicesima fortasse a Demosthene habita est. Pro Diodoro vicesima secunda et vicesima quarta, vicesima tertia scripta est pro Euthycle. Atqui etiam ex his Demosthenis naturam bene intellegemus, praesertim cum in re publica administranda partibus eorum, qui accusabant, faverit. Sed aliquid interest inter vicesimam et vicesimam secundam, etiamsi eodem anno compositae sunt. In hac interdum Androtio nimis castigatur. Ita in § 47 non minus quinque vocabula adhibentur, ut eius improbitas ostendatur *καὶ γὰρ ἀναιδῆ καὶ θρασὺν καὶ κλέπτην καὶ ὑπερήφανον καὶ πάντα μᾶλλον ἢ ἐν δημοκρατίᾳ πολιτεύεσθ' ἐπιτήδειον ὄντ' αὐτὸν*

[1] Vocabulum *ὄλεθρος* adhiberi, ut Philippo obtrectet, ex simili usu in XVIII § 127 apparet *εἰ γὰρ Αἰακὸς ἢ Ῥαδάμανθυς ἢ Μίνως ἦν ὁ κατηγορῶν, ἀλλὰ μὴ ὁ σπερμολόγος, περίτριμμ' ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς* . . .

δείξω. Idem fere vult § 69 *ἀλλ' ἐπὶ τούτοις γε, εἰ μηδὲν ἀλλ' ἀδικῶν ἔτυχεν τὴν πόλιν, τρὶς οὐχ ἅπαξ τεθνάναι δίκαιος ὢν φανεῖται· καὶ γὰρ ἱεροσυλίᾳ καὶ ἀσεβείᾳ καὶ κλοπῇ καὶ πᾶσι τοῖς δεινοτάτοις ἔστ' ἔνοχος.* Ne singula enumerem, sola ea vocabula, in quibus inest contumeliosa notio, commemorem. Gravissima mihi esse videntur *λοιδορία καὶ αἰτία* (§ 23), *ἀναισθησία καὶ πονηρία* (§ 64), *προπέτεια καὶ θρασύτης* (§ 63), *βδελυρία* (§§ 52, 59), *ἀναίδεια* (§ 8), *πόρνος* (§ 73), *βδελυρός* (§ 66), *φενακίζειν* (§§ 34, 35), *ὑβρίζειν* (§ 68 bis). Vituperat igitur in hac satis brevi oratione Demosthenes adversarium nimia cum acerbitate.

Longe alia est ratio scribendi in Leptinea. Vacat enim omni genere maledictorum, nisi forte indignamur eum tanta probra Thebanis obiectare. Ceterum Dionysio Halicarnassensi assentior, qui de hac oratione ita iudicat: *καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἕτερος ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος ὁ περὶ ἀτελειῶν, ὃν αὐτὸς διέθετο, χαριέστατος ἁπάντων τῶν λόγων καὶ γραφικώτατος* (ad Ammaeum I 4). Vicesimae secundae autem similis est Timocratea, quae iterum pro Diodoro scripta est. Ut Timocrates, qui accusabatur, ab Androtionis parte stabat, ita ratio dicendi fere eadem est quae in vicesima secunda. In § 6 enim Androtio sic castigatur: *προσέκρουσ' ἀνθρώπῳ πονηρῷ καὶ φιλαπεχθήμονι καὶ θεοῖς ἐχθρῷ . . . Ἀνδροτίωνι λέγω* (cf. XXII § 47). Aut in § 207 iisdem fere vocibus, quibus in vicesimae secundae § 69 utitur *πῶς οὖν οὐκ ἄξιος οὗτος εἰ δυνατὸν τρίς, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι* (cf. §§ 177, 202). Sed nequaquam praetereundum est, quomodo primo maledicat Timocrati in § 107 *ἢ πῶς οὐ κάκιστος ἁπάντων ἀνθρώπων δικαίως ἂν νομίζοι', ὅστις, ὦ κατάρατε, περὶ πλείονος φαίνῃ τοὺς κλέπτας καὶ τοὺς κακούργους καὶ τοὺς ἀστρατεύτους τῆς πατρίδος ποιούμενος, καὶ διὰ τούτους καθ' ἡμῶν νόμον τίθῃς.* His exemplis satis manifestis adicienda sunt substantiva, adiectiva verbaque, quae habent quandam vim odiosi. Quae in Timocratea etiam maiore numero quam in vicesima secunda leguntur. Talia sunt *κακούργημα* (§§ 86, 157), *ἀναίδεια* (§§ 111, 65), *ὕβρις* (§ 121), *ὑπερηφανία* (§ 121), *ἀναισχυντία* (§ 159), *θρασύτης* (§ 170), *πονηρία* (§§ 164, 170), *ἀναισθησία* (§§ 182) aut *κλέπτης* (§§ 127, 179), *πόρνος* (§ 181), *θεοῖς ἐχθρός* (§ 6). Accedunt adiectiva *πονηρός* (§§ 6, 124, 127), *φιλαπεχθήμων* (§ 6), *κάκιστος* (§§ 107, 166), *ἀναιδής* (§§ 72, 172, 183, 207), *σκαιός* (§ 183), *κατάρατος* (§ 107, 198), quae vox primum in orationibus iudicialibus publicis hoc loco usurpatur. Adiungenda sunt verba

λυμαίνεσθαι (§§ 1, 92, 102, 107), *κλέπτειν* (§§ 120, 162, 197), *ποιεῖν ὑβριστικόν* (§ 77), *μαίνεσθαι* (§ 122), *ὑβρίζειν* (§ 166), *συλᾶν* (§ 120). *Θηρία* vocat adversarios in § 143, id quod Demosthenes nullo alio loco nisi in Aristogitonia facit. Raro hac in oratione maledictis maiorem vim tribuit duas voces componendo velut in § 92 *λυμαίνεται καὶ διαφθείρεται*, in § 121 *ὕβρις καὶ ὑπερηφανία*, in § 170 *θρασύτης καὶ πονηρία*, in § 182 *ἀναισθησία καὶ τόλμη*. Sine dubio genus dicendi in Timocratea non ita multo minus acerbum est quam in Androtionea. Hanc tam vehementem orationem Aristocratea pro Euthycle scripta sequitur. In qua etiamsi orator convicia non plane vitat, tamen raro adhibet. Nihilosetius Cersobleptis facta magnopere reprehendere non veretur, id quod ex § 178 apparet: *Ὁρᾶτε καὶ συνίετ' . . . τὴν πονηρίαν καὶ τὴν ἀπιστίαν ὡς ἄνω καὶ κάτω . . . — αὖθις ἠδίκει Χαβρίαν, πάλιν ὡμολόγει Χάρητι. πάντ' ἄνω καὶ κάτω, καὶ οὐδὲν ἁπλῶς οὐδὲ δικαίως ἔπραξεν* (De usu vocum *ἄνω καὶ κάτω* cf. XXV § 47; XXI § 91). Praecipue invehitur in oratores in § 202 *οὐ μόνον δ' αὕτη τῆς πόλεως ἡ δωρειὰ προπεπηλάκισται καὶ φαύλη γέγονεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι διὰ τὴν τῶν καταράτων καὶ θεοῖς ἐχθρῶν ῥητόρων, τῶν τὰ τοιαῦτα γραφόντων ἑτοίμως, πονηρίαν, οἳ τοσαύτην ὑπερβολὴν πεποίηνται τῆς αὐτῶν αἰσχροκερδείας ὥστε . . .* Eodem modo Agauum et Philiscum Abydenos *μισαθηναιοτάτους καὶ πονηροτάτους ἀνθρώπους* (§ 202) appellat. Etiam Cotyn vituperat hisce vocabulis *πονηρὸς καὶ θεοῖς ἐχθρός* (§ 119), *μεθύων ἐπαρῴνει εἰς αὐτόν* (§ 114). Immo in § 6 Charidemum *κακονούστατον* dicit. Voce *ἀναιδής* (§§ 99, 100, 73) adversarios significat. Attamen haec oratio fortasse vicesimae similior est quam trium aliarum, quia pauca maledicta continet. Aristocratea igitur ultima est Demosthenis oratio iudicialis publica, quae magno numero conviciorum carere videtur. Qua de causa Henricus Weil[1] iure ac merito rationem dicendi in posteris orationibus acriorem fieri confirmat. Sed tantum abest, ut concedam in Midiana prima Demosthenem convicia proferre, ut demonstrasse putem nonnullis in partibus orationum XXII—XXIV inveniri primordia, ex quibus illa immodica posterarum orationum convicia profecta sint.

---

[1] Les plaidoyers politiques II, pg. 298: „Par un espèce de loi fatale on renchérit toujours sur la violence des attaques, sur les calomnies, les mensonges et aussi les injures, les gros mots. Si on veut comparer à ce sujet la Midienne avec le discours de l'Ambassade et ce dernier discours avec celui de la Couronne, on remarquera ce progrès ou plutôt cette décadence."

Attamen in Midiana et in ultimis orationibus iudicialibus publicis nova ratio maledicendi adhibetur. Adversarium enim eiusque familiam magis magisque calumniatur, deinde vocibus quaesitis et ab aliis scriptoribus raro usurpatis uti incipit. Voces *θηρία* (XXIV § 143) et *ὄλεθρος* (IX § 31) maledicta esse antea ab oratoribus non usitata supra commemoravi[1]. Saepius hac in oratione vocabulis *μιαρός* et *κατάπτυστος* Midiae maledicit (§§ 137, 167, 171). Praecipue voces *ἡ μιαρὰ καὶ ἀναιδὴς αὕτη κεφαλή* ter eodem vel simili modo repetit (§§ 117, 135, 194). In § 103 novum maledictum *κονιορτός*, quod in nulla alia oratione invenitur, hisce vocibus inducit *τὸν μιαρὸν καὶ λίαν εὐχερῆ, τὸν κονιορτὸν Εὐκτήμονα ἐάσω.* Vocem *κακόνοιαν* nusquam nisi in § 204 apud Demosthenem scriptam video.

Praeterea in § 149 paulo copiosius Midiae familiae obtrectat. Quae de Midiae matre proferuntur, Henricus Weil[2] ficta putare recte videtur. Similia crimina postea in duodevicesima, undevicesima, vicesima quinta orationibus nobis occurrent. Cognoscimus Demosthenem semper id unum spectare, ut non solum adversario, sed omni eius familiae infamiam inferat. Quae cum ita sint, perspicuum est Midiam esse scelestis moribus praeditum, ut ex § 201 comperimus *οὐδὲ γὰρ ἕξειν ὑμᾶς, ὅτι χρήσεσθ' αὐτῷ νομίζει. πλούσιος, θρασύς, μέγα φθεγγόμενος, βίαιος, ἀναιδής*[3]. Praeter §§ 99, 204, ubi magna cum acerbitate adversarios increpat, loci minoris momenti sunt (§§ 104, 109, 134, 153, 209). Adiectiva, quibus adversarios calumniatur, haec affero: *θρασὺν* (cf. §§ 66, 98) *ὄντα καὶ βδελυρὸν* (cf. §§ 98, 107, 123) *καὶ οὐδὲ καθεκτὸν ἔτι* (§ 2), (§ 97) *οὕτως ὠμόν, οὕτως ἀγνώμονα,* (§ 114) *ἀσεβὴς καὶ μιαρός* (cf. §§ 117, 135, 194), (§ 151) *βδελυρῷ τούτῳ καὶ ἀναιδεῖ,* (§ 164) *ὁ δειλὸς καὶ κατάρατος,* (§ 185) *ἀναιδὴς καὶ ὑβρίζων,* (§ 186) *ἀσελγὴς καὶ βίαιος,* (§ 197) *θεοῖς ἐχθρὸν καὶ βδελυρόν,* (§ 217) *ὄντα βίαιον καὶ ὑβριστήν.* Substantiva usurpat haec: § 1 *τὴν μὲν ἀσέλγειαν* (cf. §§ 80, 137) *καὶ τὴν ὕβριν,* § 83 *τὴν ὕβριν καὶ τὴν ὑπερηφανίαν* (cf. §§ 96, 137, 195, 199), § 88 *ἀσέλγειαν καὶ ὠμότητα,* § 130 *καὶ*

---

[1] In comoedia vox *θηρίον* iam apud Aristophanem saepius occurrit (Equ. 273; Nub. 184; Plut. 439).

[2] Les plaidoyers politiques I, pg. 177, adnotatio ad § 149: „Nous n'apprenons que plus tard que Midias était (si fabula vera) un enfant supposé, vendu par sa mère véritable à sa soi-disant mère."

[3] Similiter affert maledicta dissolute in XXV § 52: *ἀλλ' ἄσπειστος, ἀνίδρυτος, ἄμεικτος, οὐ χάριν, οὐ φιλίαν, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν ὢν ἄνθρωπος μέτριος γιγνώσκων* (cf. XXIV § 119).

ὕβρεις πολλαὶ καὶ περὶ τοὺς οἰκείους κακουργήματα καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ἀσεβήματα, § 132 *πόσῃ πονηρίᾳ καὶ θρασύτητι*, verba haec: § 61 *προπηλακίζειν καὶ τύπτειν*, § 86 *ἀπειλήσας καὶ διαλοιδορηθείς*, § 200 *λέγει, λοιδορεῖται, βοᾷ*, § 204 *ἐξαπατῶν καὶ ὑβρίζων*.

Equidem credo his exemplis satis demonstrari, quo studio, ut vim vocum augeat, non unum vocabulum, sed plerumque bina, nonnullis locis etiam terna ponat. Quae ratio scribendi mihi Demosthenis propria esse videtur, id quod multo melius e sequentibus orationibus cognoscetur. At illud quidem commemorem! Quamquam quaeritur, utrum causa sit *ὕβρεως* an *ἀσεβείας*, tamen Demosthenem supra modum voces *ὑβρίζειν* et *ὕβρις* adhibere puto. In hac enim oratione verbum *ὑβρίζειν* non minus sexies et septuagies usurpat, vocem *ὕβριν* septies et tricies. At respondeat quisquam orationem non esse perfectam neque perpolitam[1]. Immo id ipsum nobis magno usui est, quod ita rationem scribendi Demosthenis naturae insitam, non arte demum excultam optime cognoscamus. Sed utut res se habet, nemo mihi melius de Midiana videtur iudicasse quam Ivo Bruns, qui in pg. 569 haec scribit: „Die tendenziöse Entstellung ist eine so maßlose, daß nicht nur jeder Zusammenhang mit dem Urbild aufhört, sondern auch das so entstehende Pseudoporträt durch die Fülle der Superlative undeutlich wird."[2] Ivonis Bruns iudicium, quamvis iniquum esse videatur, tamen confirmatur ea ratione, qua Demosthenes postea in Aeschinem usus est. Qua perfidia in causa de falsa legatione acta Aeschini crimini det, quae ipse commiserit, Josephus Rohrmoser[3] singulari sagacitate docet, qui haec scribit: „Die ganze Rede des Demosthenes über die Truggesandschaft ist eine tendenziöse Geschichtsfälschung, um die Verantwortung für die Nachteile, welche den Athenern nicht aus dem Frieden selbst, sondern aus ihrem vertragswidrigen Benehmen erwuchsen, von sich weg auf seine politischen Gegner zu schieben" (pg. 815). Qua re Rohrmoser optime testatur Demosthenem non eum esse, qui omnibus vitiis sit liber, ut Arnoldus Schaefer suo opere docet. Demosthenes saepe, ut consilia

[1] F. Blass, Die attische Beredsamkeit III 1², pg. 328. Arnoldus Schaefer, Demosthenes und seine Zeit II, appendix pg. 58.

[2] Optime post Ivonem Bruns Robertus Poehlmann (Isocrates und das Problem der Demokratie, pg. 33—36) exposuit, qua acerbitate Demosthenes in Midiam inveheretur.

[3] Kritische Betrachtungen über den philokrateischen Frieden, Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1874, pg. 789—815.

perficiat, a veritate discedit. Itaque ea ipsa re rationem scribendi in peiorem partem verti haud mirum est.

Re vera dicere atque confirmare non desinit Aeschinem aliosque, qui ex Macedonum partibus stant, pecunia esse corruptos. Inquiremus igitur, quibus vocabulis Demosthenes utitur, ut Aeschinem eiusque socios a Philippo esse emptos ostendat. Legimus in § 13 *διεφθαρμένος καὶ πεπρακὼς ἑαυτὸν ἐλάνθανες*. Verbum *πιπράσκειν* (*ἑαυτόν*) adhibet in §§ 16, 17, 90, 102, 109, 116, 118, 149, 156, 167, 178, 180, 207, 208, 236, 331, 334, 343, *ἐπ' αὐτοφώρῳ δεδωροδοκηκότ' αὐτὸν καὶ πεπρακότ'* in § 121, in § 110 *μισθώσας αὐτὸν καὶ λαβὼν ἀργύριον*. Aeschinis *δωροδοκίαν* castigat in §§ 223, 335. Verbum *δωροδοκεῖν* redit in §§ 11, 97, 121, 191, 220, 258, 265, 266, 267, 268, 275, 292, 329, *ἑαυτὸν μισθοῦν* in §§ 29, 110, 286, *ἐμισθώσατο* (*Φίλιππος*) *τοῦτον* in § 316, *μίσθωμα* in § 125. *Μισθωτός* Aeschines vocatur in § 110, *δωροδόκος* in §§ 201, 339, 340. Addenda sunt similia vocabula in § 119 *πονηρὸς εἶναι ἀργυρίου συνεχῶς*, in § 101 *ἀργύριον λαμβάνειν* (cf. §§ 110, 245, 313), *χρήματα λαμβάνειν* in §§ 11, 119, 147, 173, 207, 209, 243, 254, *χρημάτων ἀποδόσθαι* in §§ 142, 229, in § 232 *χρημάτων πρεσβεύειν*, in § 182 *ἐπὶ χρήμασιν ἐξαπατᾶν*, in § 332 *ἐπὶ χρήμασι λυμαίνεσθαι*, in §§ 35, 74, 127 *χρήματα ἐπικηρύττειν*, in §§ 115, 205, 328 *χρήματα ἔχειν*, in § 118 *μισθαρνεῖν*, in § 127 *ὅλος πρὸς τῷ λήμματι καὶ δωροδοκήματι εἶναι*. Haec ratio maledicendi, cum Aeschinem pecunia corruptum patriam prodidisse nemo adhuc certis documentis demonstraverit, Demosthene minime digna videtur. Invenimus autem non minora quam in Midiana maledicta, quorum plerumque bina vel terna coniungit: *τὸν μιαρὸν καὶ ἀναιδῆ* (§ 13), *ὁ σχέτλιος καὶ ἀναιδής* (§ 16), *πανοῦργος οὗτος καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ γραμματεύς* (§ 95), *πρὸς πεπρακότας αὐτοὺς καὶ ἀνοσιωτάτους ἀνθρώπους* (§ 156), *ὁ βδελυρὸς καὶ ἀναιδής* (§ 175), *φαυλότατοι καὶ πονηρότατοι* (§ 192), *μοχθηροὺς καὶ θεοῖς ἐχθρούς* (§ 223), *μεγαλόφωνοι καὶ ἀναιδεῖς ὄντες* (§ 238), *ἔκφρονας καὶ παραπλῆγας* (§ 267), *προδοτῶν καὶ θεοῖς ἐχθρῶν* (§ 268), *Νικίου τε τοῦ βδελυροῦ καὶ τοῦ καταράτου Κυρηβίωνος* (§ 287) vel *ψευσάμενοι καὶ φενακίσαντες* (§ 58), *γοητευθέντα καὶ φενακισθέντα* (§ 102), *οὐδὲν ἀληθὲς ἀπηγγελκότα, ἀλλὰ φενακίσανθ' ὑμᾶς* (§ 177), *ἐπιπλήττων καὶ λοιδορούμενος* (§ 251), *ἐβόων, ἐξέκρουόν με, τελευτῶντες ἐχλεύαζον* (§ 23), *ἐξαπατᾶν καὶ φενακίζειν* (§ 29), *κακῶς ἔλεγον καὶ προπηλακίζειν ἐπεχείρουν* (§ 214) vel *εἰς τοῦτ' ἀναιδείας καὶ τόλμης αὐτὸν ἥξειν* (§ 72), *ἔστι δὲ ταῦτα γέλως, μᾶλλον δ' ἀναισχυντία*

δεινή (§ 72), *χωρὶς τῆς ἄλλης αἰσχύνης καὶ ἀδοξίας* (§ 83), *ταῖς τούτων ἀπάταις καὶ ψευδολογίαις* (§ 84), *ἡ τούτου πονηρία καὶ ψευδολογία* (§ 288), *ἐξουσίας καὶ ἀσελγείας* (§ 342). Rarius maledicta singula adhibet ut in § 15 *τοῦ καταπτύστου Φιλοκράτους* (cf. § 75), *Φιλοκράτης ὁ μιαρός* in §§ 113, 316, *ὁ μιαρὸς Φρύνων* in § 230, *ὦ κακὴ κεφαλὴ σύ* in § 313, *διὰ, τοὺς πεπονηρευμένους* in § 32, *τὰ τούτου πονηρεύματα* in § 257 aliaque. Vocabula *καὶ τρὶς οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιος* leguntur in § 110 (cf. XXII § 69, XXIV §§ 177, 207).

Praeterea maioris momenti haec mihi videntur. Ut in XXI § 201, ita in § 109 copiam maledictorum dissolute profert: *τὸν δ' ἄνθρωπον ἄνδρες Ἀθηναῖοι φυλάττεσθε· ἄπιστος, γόης, πονηρός* (cf. § 208). Similem rationem sequitur in § 178 *ἐπέδειξ' αἴτιον γεγενημένον . . . καὶ τῇ μὲν τῶν συμμάχων ἀντείποντ' εἰρήνῃ, τῇ δὲ Φιλοκράτους συνηγορήσαντα, τοὺς χρόνους κατατρίψαντα . . . καὶ ἄλλ' ἐπὶ τῆς ἀποδημίας πολλὰ καὶ δείν' εἰργασμένον, προδεδωκότα πάντα, πεπρακότα, δῶρ' ἔχοντα, οὐδὲν ἐλλελοιπότα μοχθηρίας.* Neminem, qui attente legit, fugit, quantopere in fine sententiae illis participiis inter se non coniunctis vis conviciorum augeatur. Quae ars etiam melius cognoscitur ex § 201, ubi interrogatione utitur, ut quasi fluctum maledictorum effundat *ἐν οἷς τί κακὸν οὐκ ἔνι; δωροδόκος, κόλαξ, ταῖς ἀραῖς ἔνοχος, ψεύστης, τῶν φίλων προδότης, πάντ' ἔνεστι τὰ δεινότατα* (cf. XXIV § 119)[1]. Figuram interrogationis simili consilio auctor mihi in § 110 adhibere videtur. Quomodo Aeschines in convivio, quod apud Philippum erat, adversus feminam quandam Olynthiam captam se gesserit, in §§ 196—198 legimus. Qua in re enarranda non desunt voces contumeliosae, quales in § 198 invenimus *καὶ γὰρ ἡ παροινία τοῦ καθάρματος τουτουὶ δεινή.* Immo in § 199 vocat Aeschinem *ἀκάθαρτον*, quae vox et vocabulum *σεμνολογεῖ* (§ 255) tantum in Aristogitonia redit. Vox *παροινία* nullo alio loco scripta est apud Demosthenem. Quae de Aeschine eiusque vita et familia in §§ 199—201 afferat, in duodevicesima oratione tractanda demum proferam. Exempla minoris momenti (§§ 28, 94, 118, 119, 127, 172, 229, 231, 250, 260, 308, 310, 313, 337) praetereo.

---

[1] Ivoni Bruns, l. a. 576 ex XVIII § 127 *σπερμολόγος, περίτριμμ' ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς* vel ex XVIII § 242 *αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ* concludenti: „Dieses Stammeln der Wut, man kann es nicht anders bezeichnen, zeigte die Gesandschaftsrede noch nicht" non plane assentiri possum, ad hanc paragraphum respiciens. Concedo singulas voces duodevicesimae orationis vehementiores esse quam eas § 201, tamen ratio conviciandi eadem est.

Apparet igitur non iam Demostheni contigisse, ut conviciis temperaret. Orator in oratione de falsa legatione eodem modo quo in Midiana maledicit adversario, cuius facta atque consilia pessima esse nos docet. In vita privata castiganda contrariam rationem sequitur atque in vicesima prima, ubi ex Midiae divitiis vitia derivat (XXI § 137 sqq.). In undevicesima ex Aeschinis eiusque parentum condicione tenui malos mores et nequitiam derivat. Videbimus re vera easdem artes et rationes esse atque in duodevicesima et vicesima quinta orationibus. Neque vero satis habet in duabus ultimis orationibus vocabula usitata usurpare, sed nonnumquam insolentia aut e sermone vulgari deprompta adhibet. Ratio scribendi magis magisque conviciis et maledictis corrumpitur.

Iam inspiciamus orationem de corona. Ac primum quidem exempla inusitatarum vocum afferam. Iam in § 50 in Aeschinem sic invehitur: *αἴτιος δ' οὗτος ὥσπερ ἑωλοκρασίαν τινά μου τῆς πονηρίας τῆς ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἀδικημάτων κατασκεδάσας.* Quae omnino de rerum statu apud Graecos narrat, non minus huc pertinent: *Παρὰ γὰρ τοῖς Ἕλλησιν, οὐ τισίν, ἀλλ' ἅπασιν ὁμοίως φορὰν*[1] *προδοτῶν καὶ δωροδόκων καὶ θεοῖς ἐχθρῶν ἀνθρώπων συνέβη γενέσθαι τοσαύτην, ὅσην οὐδείς πω πρότερον γεγονυῖαν* (§ 61). Postea in § 121 Aeschinem interrogat, cur mentiatur neque resipiscat, his vocibus: *Τί οὖν ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις;* In sequentibus paragraphis aliis translationibus usus Aeschinem increpat *καὶ βοᾷς ῥητὰ καὶ ἄρρητ' ὀνομάζων ὥσπερ ἐξ ἁμάξης, ἃ σοὶ καὶ τῷ σῷ γένει πρόσεστιν, οὐκ ἐμοί* (§ 122). Vel haec narrat: *Αἰσχίνης οὐδὲν ἧττον ἐμοῦ πομπεύειν*[2] *ἀντὶ τοῦ κατηγορεῖν εἵλετο* (§ 124). Paulo post denuo acerbissime adversarium castigat *εἰ γὰρ Αἰακος ἢ Ῥαδάμανθυς ἢ Μίνως ἦν ὁ κατηγορῶν, ἀλλὰ μὴ σπερμολόγος, περίτριμμ' ἀγορᾶς, ὄλεθρος*[3] *γραμματεύς, οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι ταῦτ' εἰπεῖν οὐδ' . . . ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα 'ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετή' . . .* (§ 127). Sequuntur tum partes, quae de Aeschinis vita privata et genere agunt, quas seorsum tractabo. Quin etiam in § 209 Aeschinem adloquitur *ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων.* Ex munere igitur, quo

---

[1] Vox *φορά* hic translate usurpatur ut postea a Menandro (Peric. 283); cf. XXI § 101 et § 185, ubi proprie dicitur.

[2] Voce *πομπεύειν* proprie utitur in XXI §§ 180, 181.

[3] cf. IX § 31 *ὀλέθρου Μακεδόνος*; XXI § 209 *τὸν δὲ βάσκανον, τὸν δ' ὄλεθρον τοῦτον.*

Aeschines functus est, illud opprobrium *γραμματοκύφων* ducit. Adiectivum *ἰαμβειοφάγος* creat in § 139, quia Aeschines olim erat histrio. At huius orationis culmen conviciorum videtur esse in § 242: *πονηρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον· τοῦτο δὲ καὶ φύσει κίναδος τἀνθρώπιόν ἐστιν, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς ὑγιὲς πεποιηκὸς οὐδ' ἐλεύθερον, αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ.* Omnis fere vox allocutione Atheniensium excepta id agit, ut adversario obtrectet. Id bene Ivo Bruns (pg. 576) Germanice significat „Stammeln der Wut".

Non minus audacter in § 296 mores proditorum describit . . . *ὥνπερ οὗτοι παρ' ὑμῖν ἄνθρωποι μιαροὶ καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες ἠκρωτηριασμένοι τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας, τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες πρότερον μὲν Φιλίππῳ, νῦν δ' Ἀλεξάνδρῳ, τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν, τὴν δ' ἐλευθερίαν καὶ τὸ μηδέν' ἔχειν δεσπότην αὐτῶν, ἃ τοῖς προτέροις Ἕλλησιν ὅροι τῶν ἀγαθῶν ἦσαν καὶ κανόνες, ἀνατετροφότες.* Neque vero desunt in sequentibus paragraphis convicia. Dicit enim in § 313 *ἡνίκ' ἂν κατὰ τούτων τι δέῃ, ἐν τούτοις λαμπροφωνότατος, μνημονικώτατος, ὑποκριτὴς ἄριστος, τραγικὸς Θεοκρίνης*, immo in § 320 vocat Aeschinem et in prodenda patria et in adulando *μέγαν καὶ λαμπρὸν ἱπποτρόφον.* Tot singularia convicia partim translationibus partim inusitatis vocibus effecta in orationibus praecedentibus non occurrunt. Haec tam vehementia maledicta solum duodevicesimae et vicesimae quintae propria sunt. At exquirere necesse est, num convicia communis generis, quae in Midiana et in oratione de falsa legatione plurima sunt, plane desint. Tantum duorum locorum, ut ceteros praetercam (cf. §§ 119, 132, 149, 197, 200, 244, 265, 267, 284, 290, 308, 323), mentionem faciam. In § 310 Demosthenes Aeschinem omnium pessimum esse ita nos docet: *τούτων γὰρ ἁπάντων ἦν ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ἐξέτασις καὶ ἔδωκεν ὁ παρελθὼν χρόνος πολλὰς ἀποδείξεις ἀνδρὶ καλῷ κἀγαθῷ, ἐν οἷς οὐδαμοῦ σὺ φανήσει γεγονώς, οὐ πρῶτος, οὐ δεύτερος, οὐ τρίτος, οὐ τέταρτος, οὐ πέμπτος, οὐχ ἕκτος, οὐχ ὁποστοσοῦν, οὔκουν ἐπί γ' οἷς ἡ πατρὶς ηὐξάνετο* (cf. XXV § 8). Denique Aeschinem eiusque socios capitis damnandos esse in § 324 pronuntiat: *εἰ δ' ἄρα ἔχουσιν ἀνιάτως, τούτους μὲν αὐτοὺς καθ' ἑαυτοὺς ἐξώλεις καὶ προώλεις ἐν γῇ καὶ θαλάττῃ ποιήσατε.*

Restat, ut examinem, quomodo Demosthenes Aeschinis vitam privatam contumeliis aspergat. Qua de re in §§ 128—131 agitur.

Postquam in § 128 Aeschinem rursus *κάθαρμα* allocutus est, in proxima paragrapho summa cum voluptate copiose enarrat, quae Aeschinis mater facere soleat, quomodo hanc elegantem statuam et summum tertiarum partium actorem aluerit (§ 129 *ὡς ἡ μήτηρ . . . τὸν καλὸν ἀνδριάντα καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον ἐξέθρεψέ σε*). Hoc loco inter se comparanda sunt, quae in oratione de falsa legatione et in oratione de corona scripta sunt de adversarii iuventute et parentibus. Orationis undevicesimae §§ 199—200, 281 de Aeschinis patre et matre certiores fimus. Comperimus magistrum esse patrem, Glaucotheam matrem fungi mysteriis obscuris. Qua de causa iam prius aliam sacerdotem esse necatam (XIX § 281). His in rebus tractandis non diu moratur. Contra in oratione de corona diligenter describit, quam tenuis Aeschinis eiusque parentum vita fuerit. Quae oratorem ementitum esse rursus Ivo Bruns (pg. 576/577) demonstrat. Ita Atrometus, cuius nomen demum Aeschinem litteram a voci Tromes praeponendo effecisse Demosthenes maligne contendit, in hac oratione servus fit ex magistro. At perspiciamus, qua ratione id argumentis firmare conetur. Narrat in § 129: *πότερ' ὡς ὁ πατήρ σου Τρόμης ἐδούλευεν παρ' Ἐλπίᾳ χοίνικας παχείας ἔχων καὶ ξύλον.* Ergo pater servus est. Idem affirmat in § 131. Atqui in §§ 258, 259, ubi Aeschinem in discipulis erudiendis patrem adiuvisse narrat, legimus *οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων.* Ex voce *τάξιν* elucet Aeschinem servi munere functum esse, non ipsum servum fuisse, id quod Demosthenes antea confirmaverat. Pater igitur civis fuisse videtur. Ergo Aeschines erat ingenuus. Denique in § 261, an res ita se habeat, dubitare videtur *ἐπειδὴ δ' εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης ὁπωσδήποτε (ἐῶ γὰρ τοῦτο).* Ex omnibus exemplis cognoscimus Demosthenem nullo loco certa argumenta afferre Aeschinem servi esse filium. Quoniam et in undevicesima oratione nusquam Aeschinis patrem vocat servum et in duodevicesima sibi non constat (cf. §§ 258, 259), optime testatur Demosthenes se falsa de Aeschine eiusque familia tradere. Nec matri facit minora opprobria. Ita in oratione de corona eam vocat scortum (§ 129). Longum est singula Aeschinis parentumque flagitia enumerare, quae eos fecisse Demosthenes confirmat. Praeterea commemorem auctorem ne neglegere quidem, qua mala fortuna adversarius, cum esset histrio, usus sit (§ 180). Videmus igitur Demosthenem in duodevicesima oratione res nullius fere momenti conquirere, ut demonstret adver-

sarium ad nullam rem esse utilem. Itaque hic multo plura de adversariis eorumque moribus profert quam in prioribus orationibus. Ea ipsa re autem orator adducitur, ut vocabula inusitata et ex sermone vulgari recepta adhibeat. Quid igitur miramur rationem scribendi multo acriorem factam esse? Addam ea, quae et prima apud Demosthenem et huius orationis propria invenimus. Hic quoque orator saepe bina vel complura vocabula, quae similem fere vim habent, usurpat, id quod iam in prioribus operibus animadvertimus. Quorum gravissima exempla enumerare mihi liceat. Ordiar ab illis locis, ubi plura adiectiva iungit: *οὕτω σκαιὸς εἶ καὶ ἀναίσθητος* (§ 120), *ὁ φαυλότατος καὶ δυσμενέστατος ἄνθρωπος* (§ 197), *ὠμότερος συκοφάντης ἢ καταρατότερος* (§ 212). Non raro adiectivo adicit substantivum ut in § 135 *προδότην καὶ κακόνουν*, in § 209 *ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων*, in § 276 *δεινὸν καὶ γόητα καὶ σοφιστὴν καὶ τὰ τοιαῦτα*, in § 289 *ἀγνώμονα καὶ συκοφάντην ὄντα καὶ μιαρόν*. Saepissime substantivum iungit cum substantivo: § 12 *προαίρεσις αὐτὴ ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ λοιδορίαν καὶ προπηλακισμὸν ὁμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα*, § 15 *καὶ σκώμματα καὶ λοιδορίας συμφορήσας*, § 20 *ἀδικήματα καί δωροδοκήματα*, § 252 *τὴν ἀγνωμοσύνην καὶ βασκανίαν*, § 256 *ὑπὸ τῆς τουτουὶ τοῦ χαλεποῦ βλασφημίας καὶ συκοφαντίας*, § 275 *τοσοῦτον ὑπερβέβληκεν ὠμότητι καὶ συκοφαντίᾳ*, § 297 *ταύτης τῆς οὕτως αἰσχρᾶς καὶ περιβοήτου συστάσεως καὶ κακίας*, § 137 *κατάσκοπος καὶ πολέμιος τῇ πατρίδι*. Aliis locis bina verba ponuntur ut in § 13 *ἐτραγῴδει καὶ διεξῄει*, in § 41 *ἀπαγγείλας τὰ ψευδῆ καὶ φενακίσας ὑμᾶς*, in § 49 *τοῖς προδιδοῦσι καὶ μισθαρνοῦσι*, in § 132 *βοῶν καὶ κεκραγώς*, in § 138 *ὑποσκελίζειν καὶ συκοφαντεῖν*, in § 180 *λοιδορούμενος καὶ διασύρων*, in § 293 *ἔβλαπτεν καὶ διέβαλλεν*, in § 295 *ἐξαπατῶντες καὶ διαφθείροντες*, in § 320 *μισθαρνεῖν καὶ κολακεύειν*. Addendae sunt singularum vocum contumeliosarum hae: *κακοήθης* (§ 11), *μιαρός* (§§ 134, 141, 153, 289, 296), *κατάπτυστος* (§§ 33, 43), *ἀναίσθητος* (§§ 120, 221), *τριταγωνιστής* (§ 209).

Videmus igitur rationem scribendi acerbitate nulla in re cedere stilo priorum scriptorum. Itaque Arnoldi Schaefer sententiam (II², pg. 305): „Demosthenes selbst, so sehr es seiner Natur zuwider war, hat dort (vor Gericht), wenn es galt, schonungslos die Waffen persönlicher Lästerung geführt“, quam iam Ivo Bruns (pg. 571) suo iure reiecit, probare non possum. Nequiquam fieri potest, ut is, cuius a natura atque moribus convicia omnino abhorrent, tantopere

maledicat quantopere huius orationis multis locis Demosthenes. Immo vero propria illa cupiditas maledicendi Demosthenis esse mihi videtur, ut supra commemoravi. Quam eum reprimere conatum esse minime credo.

Certe interest aliquid inter duodevicesimam et undevicesimam orationem. Atqui utraque inter se non eo differt, quod Demosthenes aliis viis et rationibus adversarium castigandi utitur, sed potius quod hae amplificantur et augentur cum usu vocum inusitatarum tum frequentatione maledictorum. Conspicuum mihi videtur inter annum 343 et 330 oratorum mores et Demosthenis acerbitatem magis magisque corruptam esse, ita ut libido conviciandi iam nullis fere finibus contineretur. Minime est mirum hanc depravationem proximis annis etiam crevisse, id quod oratio XXV comprobare videtur. In hac enim per totam fere orationem convicia dispersa sunt. Orditur iam a § 5 illa libido maledicendi[1], quae postea nusquam funditus exstinguitur, quamquam primae orationis partes non tantam acerbitatem prae se ferunt quantam illa, in qua de Aristogitonis vita agit (cf. §§ 54—68) vel iudices orat et obsecrat (§§ 76—96), ne eos Aristogitonis misereat.

Attamen priusquam de totius orationis natura iudico, singula explorare necesse est. Qamquam quae ad stilum pertineant, postea accuratius tractabo, tamen quaerere aequum est, quibus rebus auctor tantam vim dicendi effecerit[2].

Ac primum quidem respiciam, quibus locis utatur vocibus translatis, ut Aristogitonem quique eum sequuntur describat. In § 8 qui ab Aristogitonis parte stant, sic castigat: *βουλοίμην δ' ἂν ... σπουδάσαντας ὑμᾶς ἐξετάσαι διὰ βραχέων, εἰς ὅσην αἰσχύνην καὶ ἀδοξίαν προῆχε τὴν πόλιν δημοσίᾳ πάντα τὰ τοιαῦτα θηρία, ὧν μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτός ἐστιν οὗτος*. Hugo Stier (pg. 18) putat vocabulum *θηρίον* plane abhorrere ab usu Demosthenico. At in XXIV § 143 Androtionem, Timocratem eorumque amicos *θηρία* vocat. Hoc vero loco vocabula

---

[1] Qua de re egit Henricus Weil (Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 287): „Il (le discours) a été jugé indigne de lui à cause d'une certaine intempérance de verve que réprouvent les amateurs de la sobriété attique“. Reinholdus Braun, pg. 4: „Verum tantam accusandi libidinem quantam in hac oratione deprehendimus, haud facile apud illum (Demosthenem) invenias.“ Hugo Stier, pg. 17—18.

[2] Henricus Weil, Plaid. pol. II, pg. 287: „Il a été admiré comme une des œuvres les plus vives et les plus puissantes du grand orateur.“

ὧν μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτός ἐστιν οὗτος[1] addit. Accedunt in § 96 voces *ὅταν συκοφάντην καὶ πικρὸν καὶ ἔχιν τὴν φύσιν ἄνθρωπον ἴδητε,* quae ad Aristogitonem spectant. His exemplis Aristogito cum bestiis comparatur, confertur cum caupone in § 46 *εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας καὶ παλιγκάπηλος καὶ μεταβολεὺς καὶ μόνον οὐ ζυγὰ καὶ στάθμ' ἔχων πάνθ' ὅσα πώποτ' ἔπραξε, ἐπώλει, τί τοῦτον ὦ μάταιε ἀκονᾷς;* Ut caupo merces emit atque vendit, ita nequitiam emit atque vendit Aristogito. Auctorem eodem modo, quo Demosthenes in Midiana et in oratione de corona adversarii familiae contumeliam infert, Aristogitonis fratri Eunomo maledicere ex § 79 intellegimus (*ἀδελφὸς δ' ἐστὶ τούτου ὁμομήτριος καὶ ὁμοπάτριος καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς δίδυμος*). Quin etiam minime dubitat fratrem magum simul et pestem vocare (§ 80 *οὗτος οὖν αὐτὸν ἐξαιτήσεται, ὁ φαρμακός, ὁ λοιμός, ὃν ἀποιωνίσαιτ' ἄν τις μᾶλλον ἰδὼν ἢ προσειπεῖν βούλοιτο, ὃς αὐτὸς αὑτῷ θανάτου τετίμηκεν, ὅτε τοσαύτην δίκην ἔλαχεν*). Paulo ante autem egregie narrat Eunomum fratrem se morbo comitiali oppressis mederi confirmare, quamquam ille ipse vitio comitiali nequitiae correptus sit (*καὶ τοὺς ἐπιλήπτους φησὶν ἰᾶσθαι, αὐτὸς ὢν ἐπίληπτος πάσῃ πονηρίᾳ*).

Accedunt voces translatae, ut doceat, quae Aristogito eiusque sodales gerant. Ex oratione de corona vocabula *ἄνω καὶ κάτω διακυκῶν* (§ 111) et ex oratione de falsa legatione *ἄνω καὶ κάτω ποιεῖν* (§ 261) nobis sunt nota. Quae in hac oratione (§ 47) bene textui inserit. Simili ratione in § 75 *τότ' ἄνω καὶ κάτω πάντα χρὴ νομίζειν ἐστράφθαι* dicit. Egregie describit urbem, dum verba facit Aristogito, quasi obsideri, si vero tacet, ex malis recreari (*ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖ τοὐναντίον, ὃν μὲν οὐ προσήει χρόνον, ἀναπαύσασθαι τῶν κακῶν ἡ*

[1] Haec vocabula, quae adiunguntur praecedentibus, non probat Hugo Stier (pg. 12/13). Illum locum (XVIII § 310) cum his vocibus comparari posse negat. Dicit enim haec: „Insolens est collocatio verborum *μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτος*; praeterea in superlatione offendo. Non potest fieri, ut Aristogito simul primus et medius et postremus sit.“ Concedo paulum interesse inter hos locos. Tamen habent aliquid commune. In duodevicesima enim oratione dicit Aeschinem nullius boni operis tantummodo minimae partis participem esse, contra in vicesima quinta Aristogitonem bestiam bestiarum esse confirmat. Nam utraque in re adversariis singularia vitia tribuere vult, quae aliorum propria non sunt. Praeterea non intellego, cur Hugo Stier collocationem vocum *μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτος* insolentem putet. Ea ipsa coniunctione vocis *τελευταῖος* cum vocabulo *πρῶτος*, quae contraria sunt, bene opponuntur. Neque intellego, cur incredibile sit quendam simul et primam et ultimam et mediam esse bestiam. Hac ex sententia minime apparet auctorem ineptias protulisse, ergo eum non esse Demosthenem. Qui enim sine ira et studio legit, non ignorat, quid voces velint. Auctorem hanc sententiam bene composuisse credo.

πόλις, ὧν ἅπασιν οὗτος παρεῖχεν, ἀφ' οὗ δὲ πάλιν δημηγορεῖ, πολιορκεῖσθαι, λόγους στασιώδεις καὶ ταραχώδεις ἐν ἁπάσαις ἀεὶ ταῖς ἐκκλησίαις λέγοντος τούτου § 42). Optime in § 90 interpretatur, quomodo in calamitate Aristogito se gerat *καὶ ἃ τῶν ἄλλων τῶν ἠτυχηκότων ἕκαστος ἀψοφητὶ ποιεῖ, ταῦθ' οὗτος μόνον οὐ κώδωνας ἐξαψάμενος διαπράττεται.* Hunc locum magna cum acerbitate pronuntiari et ex antecedentibus et ex posterioribus versibus apparet. Saepe sola ex continuatione vocum intellegemus, quae sint convicia. Sine dubio enim in hac re diiudicanda actio ipsa summi fuit momenti.

At multo vehementius in § 28 in Aristogitonem invehitur *ἀπεσχοινισμένος πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσει δικαστηρίων τριῶν, ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων, τῇ τῆς βουλεύσεως, ἣν αὐτὸς διώκεις, γραφῇ, μόνον οὐχ ἁλύσει σιδηρᾷ ὑποδύει παρὰ ταῦτα καὶ διασπᾷς καὶ προφάσεις πλάττων καὶ ψευδεῖς αἰτίας συντιθεὶς τὰ κοινὰ δίκαι' ἀνατρέψειν οἴει.* Hic igitur translationes tamquam accumulat, ut demonstret, qua licentia et audacia Aristogito leges contemnat et verba faciat. In § 52 praeter illam translationem *κακόν τι προστριψάμενος* Aristogitonem cum serpente et scorpione confert, qui modo huc modo illuc spiculum vertit. In fine orationis (§ 95) iubet iudices, ut medici ulcera, quae sanari non possunt, desecant atque comburunt, ita hunc ex urbe movere et delere atque exstinguere (*δεῖ δὴ πάντας ὥσπερ οἱ ἰατροί, ὅταν καρκίνον ἢ φαγέδαιναν ἢ τῶν ἀνιάτων τι κακῶν ἴδωσιν, ἀπέκαυσαν ἢ ὅλως ἀπέκοψαν, οὕτω τοῦτο τὸ θηρίον ὑμᾶς ἐξορίσαι, ῥῖψαι ἐκ τῆς πόλεως, ἀνελεῖν* . . .). Frequentibus dissolutionibus in fine sententiae vis dicendi multum augetur. Quae figura in Aristogitonia saepissime redit. Gravissima tantum exempla attingam. Praeter tria participia non coniuncta, quae in collatione § 52 modo tractata adhibentur, sex membra non inter se iungit, ut Aristogitonis mores corruptos enarret: *ἀλλ' ἄσπειστος, ἀνίδρυτος, ἄμεικτος, οὐ χάριν, οὐ φιλίαν, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν ὧν ἄνθρωπος μέτριος γιγνώσκων,* ubi illis tribus vocabulis a littera *α* incipientibus summa cum arte tria membra opponuntur, quae initium capiunt ex voce *οὐ*. Haec figura a scriptore non raro usurpatur, ut ratio dicendi augeatur. Optimum exemplum legimus in § 51 *ἀλλ' οὐχ οὗτος οὐδὲν οὐδ' ἂν ἔχοι δεῖξαι, πρὸς ὅτῳ τὸν βίον ἐστὶ τῶν μετρίων ἢ καλῶν. οὐχὶ τῶν πολιτικῶν ἀγαθῶν ἐπ' οὐδενὶ τῇ ψυχῇ διατρίβει· οὐ τέχνης, οὐ γεωργίας, οὐκ ἄλλης ἐργασίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται· οὐ φιλανθρωπίας, οὐχ ὁμιλίας οὐδεμιᾶς οὐδενὶ κοινωνεῖ.* Dubium non est, quin convicia efficiantur, etiamsi

maledicta desunt, quod reum ullam virtutem habere negat (cf. § 5). Quorum in numero habenda sunt etiam haec dicta § 90 *οὐ πρυτάνεις, οὐ κῆρυξ, οὐκ ἐπιστάτης, οὐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τούτου κρατεῖν δύναται.* Concedo me in oratione de corona paucos similes locos investigare potuisse. Tantum in §§ 310, 322 similia invenimus. Restat, ut nonnulla exempla adiciam, quae negatione carent. Ita in § 94 octo verba contumeliosa sine coniunctione adhibet *καὶ τοσούτῳ πλείονος ὀργῆς ἄξιός ἐστιν νῦν ἢ πρότερον, ὅσῳ τότε μὲν γράφειν μόνον ᾤετο δεῖν παρὰ τοὺς νόμους, νυνὶ δὲ πάντα ποιεῖν, αἰτιᾶσθαι, λέγειν, διαβάλλειν, βλασφημεῖν, θανάτου τιμᾶσθ', εἰσαγγέλλειν, κακολογεῖν τοὺς ἐπιτίμους αὐτὸς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ.* Locos, quibus bina vel terna vocabula non coniuncta profert, praetereo (cf. §§ 36, 49, 78, 80). Primum bina membra, tum terna non coniungit in § 82 *οὐκοῦν ἐν κρίσεσιν καὶ ἀγῶσι καὶ πονηραῖς αἰτίαις ἅπαντας εἶναι βούλεται· ταῦτα γεωργεῖ, ταῦτ' ἐργάζεται. ὁ δὲ ποῖός τις καλοῖτ' ἂν δικαίως ὁ τρισκατάρατος, ὁ κοινὸς ἐχθρός, ὁ πᾶσι δυσμενής, ὅτῳ μήτε γῆ φέροι καρπὸν μήτ' ἀποθανόντα δέξαιτο.* In duodevicesima oratione talia exempla, etiamsi sunt rariora, in §§ 127, 242, 313 indagavi.

In oratione vicesima quinta figuram coniunctionis non tam saepe invenimus quam dissolutionis. In duodevicesima nonnullis locis adhibetur (cf. §§ 135, 289, 320). Nonnumquam negationibus coniunguntur singula membra (cf. XVIII §§ 249, 287, 312). Hanc ipsam figuram auctor Aristogitoniae usurpat in § 35 *ἀλλ' οὐκ ἀναισχυντίας οὐδὲ συκοφαντίας οὐδ' ἐπιορκίας οὐδ' ἀχαριστίας (βωμοί), ἃ πάντα τούτῳ πρόσεστιν.* Hoc loco igitur se optime Aristogitonis nequitiam ostendere posse eo, quod in fine periodi demonstrat eum sectari, quae omnes homines vitant. Coniunctionibus sine negatione utitur in § 9 *εἰς τὰς ἐκκλησίας ἀναβαίνουσιν, ἐν αἷς ὑμεῖς γνώμης ἀπόδειξιν, οὐ πονηρίας τοῖς λέγουσι προτίθετε, τόλμαν καὶ κραυγὴν καὶ ψευδεῖς αἰτίας καὶ συκοφαντίαν καὶ ἀναισχυντίαν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα συνεσκευασμένοι, ὧν οὐκ ἂν εὕροι τις ἐναντιώτερα τῷ βουλεύεσθαι, νομίζω δὲ μὰ τοὺς θεοὺς οὐδ' ἂν αἰσχίω.* Eximia vero arte auctor pergit dissolutionibus usus *καὶ τούτοις τοῖς αἰσχροῖς ἁπάντων τῶν τῆς πόλεως καλῶν περίεισι, τῶν νόμων, τῶν προέδρων, τοῦ προγράμματος, τῆς εὐκοσμίας.* Utraque in re orator, quamvis diversas rationes sequatur, figuras consulto adhibere videtur, ut vim dicendi augeat. Non credo quemlibet declamatorem obscurum, sed potius virum omnium eloquentiae rationum et viarum peritum haec composuisse.

Denique duas figuras Aristogitoniae proprias commemorabo, scilicet interrogationis[1] et vocum geminationis[2]. Illam optime reddit § 63 . . . *ὑμεῖς δ' ἐξεληλακότων τῶν νόμων αὐτὸν ἐκ τῆς πολιτείας εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς καταμείξετε; τί τῶν πεπραγμένων ἢ βεβιωμένων ἐπαινέσαντες; ἢ τί τῶν πάντων οὐχὶ δυσχεράναντες; οὐκ ἀσεβής; οὐκ ὠμός; οὐκ ἀκάθαρτος; οὐ συκοφάντης;* Similiter cum interrogatione figuram repetitionis coniungit in §§ 67/68 *ἀλλ' ὅτι τὴν ἀρχὴν ἣν ἔλαχ' ἀπεδοκιμάσατε; ἀλλ' ὅτι παρανόμων αὐτοῦ κατέγνωτε; ἀλλ' ὅτι πέντε ταλάντων προσετιμήσατε; ἀλλ' ὅτι δακτυλοδεικτεῖτ' ἐπὶ τῷ πονηρότατον τῶν ὄντων ἁπάντων δεικνύναι; ἀλλ' ὅτι τῶν ὑπαρχόντων νόμων καὶ πολιτείας μενόντων, οὐκ ἔνι τῶν αἰσχρῶν αὐτῷ τούτων ἀπαλλαγῆναι* (cf. § 59).

Denique de figura geminationis agam, qua nullus orator aequalis tam saepe usus est quam Demosthenes in Aristogitonia priore. Eos locos solum proferam, ubi quasi ex geminatione convicia ducuntur. Locus iam supra commemoratus (§ 58 *μιαρὸν μιαρὸν τὸ θηρίον . . καὶ ἄμεικτον*) huc pertinet. Deinde maledicit Aristogitoni in § 95 *ἀνίατον, ἀνίατον τὸ πρᾶγμά ἐστι τὸ τούτου.* In peroratione tamquam omnia ab eo male facta iterum paucis complectitur *ἐφῖκται γὰρ ἐφῖκται πάντων ἡ τούτου κακοπραγμοσύνη καὶ πᾶσι βουλομένοις ἐστίν, ἀπαλλαγῆναι τῆς τούτου πονηρίας καὶ δίκην δεδωκότ' ἰδεῖν.* Neque vero in aliis Demosthenis orationibus omnino deest geminatio. Praeter unum exemplum duodevicesimae orationis (§ 242) optimum puto illud orationis de falsa legatione, quod in § 97 legimus *εἴργετ' οὖν, εἴργετ' αὐτὸν τῶν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης λόγων, εἰς δὲ τοὺς ὑπὲρ τῶν πεπραγμένων ἐμβιβάζετε. οὐ γὰρ Αἰσχίνης ὑπὲρ τῆς εἰρήνης κρίνεται, οὔ, ἀλλ' ἡ εἰρήνη δι' Αἰσχίνην διαβέβληται.* Demosthenem igitur brevi bis usus est figura, quamquam negari non potest hunc locum minus gravem esse quam singula exempla ex Aristogitonia prolata.

Has singulas figuras, quae saepissime cum conviciis coniunguntur, enumerare studui, ut ostenderem, et quomodo auctor maledicta sollerter variaret et quantopere vis dicendi magno numero talium figurarum cresceret. Contra illae rationes, quibus Demosthenes potissimum in reliquis orationibus iudicialibus publicis utitur, in hac haud ita elucent. Sed has minime deesse nonnullis exemplis exponere mihi liceat. Saepe duo vocabula iungit orator, ut adversarium scelestum eiusque facta nequissima ostendat: § 27 *ὁ βδελυρὸς καὶ ἀναιδὴς ἄνθρωπος,*

---

[1] R. Braun, pg. 30.
[2] R. Braun, pg. 29.

§ 32 *ἄνθρωπος μιαρὸς καὶ πατρικῆς ἔχθρας πρὸς τὸν δῆμον ἀνάμεστος*, § 54 *ὁ ἀσεβὴς οὗτος καὶ μιαρός*, § 77 *ὡς πονηροῦ δηλονότι καὶ ἀξίου τεθνάναι*, § 41 *ἀλλ' οὗτος πρᾶγμ' ἑόρακεν μιαρὸν καὶ ἀναιδές* et *λοιδορούμενος καὶ προσκρούων*, § 50 *πάντας εἰς ταραχὴν καὶ στάσιν ἐμβάλλειν ζητήσας*, § 57 *ῥαπίσας καὶ ἀπειλήσας*, § 83 *ὁ βάσκανος οὗτος οὕτως ὠμῶς καὶ πικρῶς εἶχεν*, denique § 94 *ἀδικήματα καὶ πλεονεκτήματα*.

Quibus rebus absolutis Aristogitoniam cum aliis orationibus, de quibus supra egi, paucis comparare in animo habeo. Est sane oratio vicesima quinta plena conviciorum, potissimum in secunda parte maledicta sequuntur maledicta. In oratione de corona singuli loci eandem fere rationem prae se ferunt, non totum opus. Quot convicia in Aristogitonia nobis occurrunt, tot demum apud Dinarchum legimus. At haec Demosthenis libido maledicendi in dies acrior facta est. Cognoveramus ne Androtioneam quidem Timocrateamque plane conviciis vacare. Sed in his orator argumenta potissimum sumit ex rebus ipsis. Ex eo tempore, quo Midianam scripsit, paulatim et adversario et eius familiae sociisque convicia infert. In Midiana igitur initium facit conviciandi Demosthenes, iam non coercetur illa libido calumniandi in Aristogitonia priore. Inter has duas interiectae sunt orationes de falsa legatione et de corona, quae quasi tenent medium. At in illa, cum proxima sit Midianae, Demosthenes non tantopere maledicit quantopere in duodevicesima, quae proprior est Aristogitoniae[1]. Ergo apparet Demosthenem magis magisque convicia adhibuisse. Aristogitoniam, cum sit ultima Demosthenis oratio, maledictis omnes ceteras oratoris orationes superare mirum non est. Accedit, quod ex summa Aristogitoniae arte cognoscimus eam non a quolibet declamatore, sed ab illustri oratore scriptam esse. Supra modum igitur genus causam agendi corruptum est, ratio dicendi vix maiore cum arte perpoliri potest.

At non solum ex Demosthenis orationibus demonstrari potest licentiam conviciandi inde a saeculo quarto medio in Atticis iudiciis in dies magis grassatam esse. Inspiciamus aequalium orationes! Ac primum quidem de Aeschine agam, quoniam Demosthenis duodevicesima et undevicesima orationes respondent Aeschinis secundae et tertiae. Videamus igitur, quomodo prima et secunda, quae eodem

[1] Henricus Weil, Les plaidoyers politiques de Démosthène II, pg. 298.

fere tempore compositae sunt, a tertia differant. Sane res magnas praebet difficultates, quod prima oratio est de turpissimo flagitio. Quocirca facile accidere potuit, ut Aeschines maledictis crebrius uteretur. Accurate enim et copiose, quanta cum ignominia Timarchus vitam degerit, enarrat in § 26 *οὑτοσὶ δὲ οὐ πάλαι, ἀλλὰ πρῴην ποτὲ ῥίψας θοἰμάτιον γυμνὸς ἐπαγκρατίαζεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὕτω κακῶς καὶ αἰσχρῶς διακείμενος τὸ σῶμα ὑπὸ μέθης καὶ βδελυρίας ὥστε τούς γε εὖ φρονοῦντας ἐγκαλύψασθαι, αἰσχυνθέντας ὑπὲρ τῆς πόλεως εἰ τοιούτοις συμβούλοις χρώμεθα*. Similia profert in §§ 70, 94, 95, 108. Magnam vim orationi tribuit repetitionibus et dissolutionibus. Ita in § 105 hisce cum vocibus Timarchum alloquitur *ἀλλ' οὐκ ἔστι τούτῳ λοιπὸν οὐδέν, οὐκ οἰκία, οὐ συνοικία, οὐ χωρίον, οὐκ οἰκέται, οὐ δάνεισμα, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν ἀφ' ὧν ἄνθρωποι μὴ κακοῦργοι ζῶσιν. ἀλλὰ τούτῳ ἀντὶ τῶν πατρῴων περίεστι βδελυρία, συκοφαντία, θράσος, τρυφή, δειλία, ἀναίδεια, τὸ μὴ ἐπίστασθαι ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς ἐξ ὧν ἂν ὁ κάκιστος καὶ ἀλυσιτελέστατος πολίτης γένοιτο*. Contra figura interrogationis usus in § 185 maledicit . . . *ὑμεῖς δὲ Τίμαρχον τὸν τοῖς αἰσχίστοις ἐπιτηδεύμασιν ἔνοχον ἀφήσετε; τὸν ἄνδρα μὲν καὶ ἄρρηνα τὸ σῶμα, γυναικεῖα δ' ἁμαρτήματα ἡμαρτηκότα*; Neque desunt voces quales *μιαρός* (§ 42, 54), *ὁ πρωτεύων βδελυρίᾳ καὶ γνωριμώτατος* (§ 192), *τρισκακοδαίμων* (§ 59), quae vox quasi respondet voci *τρισκατάρατος* (Dem. XXV § 82), *νεανίσκος ὀρφανὸς ἡμιμανής* (§ 171). In Demosthenem ipsum vehementer invehitur et varia nomina ei tribuit. Ac primum quidem oratorem vocat sophistam (§§ 125, 175), deinde Batalum, quod nomen magna cum voluptate in § 131 ita interpretatur: *ὑπὸ τῆς τίτθης Βάταλος προσαγορεύεται ἐξ ἀνανδρίας καὶ κιναιδίας ἐνεγκάμενος τοὔνομα*. Denique in § 181 eum *κίναιδος* vocat. Tum ei opprobria infert, quod veste muliebri ornatus sit (§ 131). His exemplis satis apparet Aeschinem in Timarchea adversariis maledicere minime dubitare.

Longe aliter res in secunda oratione se habere videtur, ubi Aeschinem, quae in re publica administranda gessisset, iure defendisse Rohrmoser[1] docuit, Demosthenis vero orationem maxima ex parte discedere a veritate. At in hac quoque oratione verba facit plena malevolentiae et obtrectationis de Demosthenis vita privata factisque. Etiamsi ratio dicendi non tam acris videtur esse quam in ante-

[1] Kritische Betrachtungen über den philokrateischen Frieden, Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1874, pg. 795/96, 814/815.

cedenti oratione, tamen adversarii generi semel iterumque obtrectat. Opprobrio ei dat, quod avia natione erat Scytha: *ὦ Δημόσθενες ἐκ τῶν νομάδων Σκυθῶν τὸ πρὸς μητρὸς ὢν γένος* (§ 78). Nulla alia de causa vocat eum barbarum (§ 183). Multo copiosius Demosthenis vitam increpat in § 99 *ἐν παισὶ μὲν γὰρ ὢν ἐκλήθη δι' αἰσχρουργίαν τινὰ καὶ κιναιδίαν Βάταλος, ἐκ παίδων ἀπαλλαττόμενος καὶ δεκαταλάντους δίκας ἑκάστῳ τῶν ἐπιτρόπων λαγχάνων Ἀργᾶς, ἀνὴρ δὲ γενόμενος προσείληφε τὴν τῶν πονηρῶν κοινὴν ἐπωνομίαν συκοφάντης.* Alia crimina similiter in §§ 127, 148 pronuntiat. Non desinit novas appellationes excogitare atque tribuere Demostheni. Ita eum significat his vocabulis in § 43 *ἀνακροτήσας ὁ Σίσυφος ὅδε τὰς χεῖρας,* in § 79 *αὐτὸς ὢν ἀνδραποδώδης καὶ μόνον οὐκ ἐστιγμένος αὐτόμολος.* Quin etiam foedissimam libidinem ei obicit simulque eum pecunia corruptum esse affirmat (*ὁ δὲ οὐδὲν ἔχων ἄπρατον μέρος τοῦ σώματος οὐδ' ὅθεν τὴν φωνὴν προίεται ὡς ὢν Ἀριστείδης, ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος, δυσχεραίνει καὶ καταπτύει δωροδοκίας* § 23). Vocem *κίναιδος* bis usurpat (§§ 88, 151). Maledicit ei his vocabulis in § 34 *φθέγγεται τὸ θηρίον τοῦτο προοίμιον σκοτεινόν τι καὶ τεθνηκός.* Cetera maledicta, quae invenimus (cf. §§ 1, 8, 11, 57, 98, 113, 150, 153, 166), praetermittam, praeter quod adhibet in § 40 *ὅτι μὲν οὖν ποτ' ἦν ὁ κέρκωψ ἢ τὸ καλούμενον παιπάλημα ἢ τὸ παλίμβολον ἢ τὰ τοιαῦτα ῥήματα, οὐκ ᾔδειν πρότερον· νυνὶ δ' ἐξηγητὴν τοῦτον λαβὼν τῆς ἁπάσης κακοηθείας μεμάθηκα.* Simulat igitur Aeschines se fuisse virum probum, qui nesciret, quid vellent haec vocabula, nisi in legatione Demosthenis malitiam cognovisset. Tum demum se intellexisse, quae esset vis horum vocabulorum.

Ergo si convicia perspicimus, quae ex secunda oratione hausimus, non dubitabimus, quin ea etiam acriora sint quam in Timarchea, in qua res per se odiosa erat. Concedo quidem liberas esse conviciis magnas partes huius orationis, quae facile primum locum obtinet inter Aeschineas. Attamen spero me ostendisse Aeschinem in prima oratione non tantopere Timarcho maledicere quantopere in oratione de falsa legatione Demostheni. Nimirum in Ctesiphontea multo maiora maledicta insunt quam in secunda oratione.

At illud ultimum Aeschinis opus praecipue ab oratione de corona differt eo, quod longe melius Aeschines adversarii mores describit quam Demosthenes[1]. Nam Aeschines in hac oratione partim convitiis partim facetiis et sale de Demosthenis vita et factis agit, ut sibi audientium animos conciliet. Summo cum lepore enarrat, quomodo Demosthenes nuntium Philippi mortis acceperit. Dicere enim Demosthenem se dormientem a Minerva et a Iove de regis morte certiorem factum esse, quamquam re vera Charidemi quidam explorator hanc rem iam Athenas nuntiavisset. Tum eum reprehendit, quod regis morte gavisus albam vestem induerit, quamvis septem diebus ante eius filia mortua esset. Denique haec concludit: *ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἂν γένοιτο δημαγωγὸς χρηστός* (§ 78). Eodem modo enarrat Demosthenem ineptiis nugisque audientium animos sibi conciliare (§§ 99—101), id quod similiter in § 229 repetit *ὅταν ἐξ ὀνομάτων συγκείμενος ἄνθρωπος καὶ τούτων πικρῶν καὶ περιέργων, ἔπειτα ἐπὶ τὴν ἁπλότητα . . . καταφεύγῃ, τίς ἂν ἀνάσχοιτο; οὗ τὴν γλῶσσαν ὥσπερ τῶν αὐλῶν ἐάν τις ἀφέλῃ, τὸ λοιπὸν οὐδέν ἐστιν . . .* (cf. § 152). Quamquam non tam saepe quam in secunda oratione Demosthenis familiae obtrectat, tamen multo gravius in avum matremque invehitur in § 172 *οὐκοῦν ἀπὸ μὲν τοῦ πάππου πολέμιος ἂν εἴη τῷ δήμῳ, θάνατον γὰρ αὐτοῦ τῶν προγόνων κατέγνωτε, τὰ δ' ἀπὸ τῆς μητρὸς Σκύθης, βάρβαρος ἑλληνίζων τῇ φωνῇ.* Eodem igitur modo, quo Demosthenes, Aeschines, cum iterum de adversarii parentibus verba facit, multo graviora opprobria profert. Facete tum ex genere barbaro efficit, ut ea de causa Demosthenis nequitiam externam esse luce clarius sit. In sequentibus sententiis convicia iungit cum conviciis. Incipit in § 173 *πλεῖστον δ' ἐκ τῆς πολιτείας εἰληφὼς ἀργύριον, ἐλάχιστα περιεποιήσατο. νῦν μέντοι τὴν δαπάνην ἐπικέκλυκεν αὐτοῦ τὸ βασιλικὸν χρυσίον, ἔσται οὐδὲ τοῦθ' ἱκανόν. καὶ τὸ κεφάλαιον τὸν βίον οὐκ ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων πορίζεται, ἀλλ' ἐκ τῶν ὑμετέρων κινδύνων,* pergit in § 174 *πρὸς δ' εὐγνωμοσύνην καὶ λόγου δύναμιν πῶς πέφυκε; δεινὸς λέγειν, κακῶς βιῶναι* et paulo post *ἔπειτα τί συμβαίνει τῇ πόλει; οἱ μὲν λόγοι καλοί, τὰ δ' ἔργα φαῦλα.* Pari ratione in §§ 212—214 memoriae prodit Demosthenem, etiamsi corona non donetur, id non graviter laturum esse. Nam honorem eum minoris quam pecuniam aestimare, quod Midiam, a quo in theatro colapho ictus esset, pecunia corruptus persequi destiterit. Pecunia eum esse emptum Aeschines semel atque iterum confirmat

[1] Ivo Bruns Aeschinis rationem scribendi bene depingit his verbis, pg. 584: „Mit solchem Geschick ist in attischen Gerichtsreden sonst niemals porträtiert worden. Die Bösartigkeit der Schilderung liegt in der geringen Übertreibung, liegt darin, daß das Bild etwas Mögliches bietet, ja eine unleugbare innere Wahrscheinlichkeit bietet."

(cf. §§ 58, 70, 94, 105, 156, 173, 244, 257, 259). Praeter ceteros a Persarum rege eum dona accepisse, ut patriae noceret (§ 240 *καὶ τὸ κεφάλαιον, τὸ μὲν βασιλικὸν χρυσίον παρὰ τούτῳ, οἱ δὲ κίνδυνοι παρ' ὑμῖν*). Quae crimina eo graviora sunt, quia Demosthenem pecuniam etiam in patriam sumpsisse confirmat, id quod et ex loco modo allato et ex his vocibus efficere possumus: *σὺ δ' οἶμαι λαβὼν μὲν σεσίγηκας, ἀναλώσας δὲ κέκραγας· λόγος δὲ οὐχ ὅταν σοι δοκῇ οὐδ' ἃ βούλει, ἀλλ' ὅταν οἱ μισθοδόται σοι προστάττουσιν* (§ 218).

Alio loco eum ex pugna fugisse dicit. Talem hominem laudationem funebrem eorum, qui in pugna ad Chaeroneam commissa mortui sint, habere Atheniensibus turpe esse (*ἐὰν δ' οὗτος λέγῃ, ὑμεῖς ὑπομενεῖτε καὶ συναποθανεῖται τοῖς τελευτήσασιν ὡς ἔοικε καὶ ἡ ὑμετέρα μνήμη* (§ 152). Neque haec opprobria ei satis sunt. Immo illi crimini dat, quod clade accepta ignavum se praebuerit (*καταγούσης δ' αὐτὸν εἰς τὴν πόλιν τῆς ἀπροσδοκήτου σωτηρίας τοὺς μὲν πρώτους χρόνους ὑπότρομος ἦν ὁ ἄνθρωπος, καὶ περιιὼν ἐπὶ τὸ βῆμα, εἰρηνοφύλακα ὑμᾶς αὐτὸν ἐκέλευε χειροτονεῖν* § 159). At superavisse Demosthenem omnes ignavia et iactatione, cum Philippo mortuo Alexander rex fieret (cf. § 160).

Ut Demosthenis animum in Philippum, Alexandrum, Macedones infestum significet, utitur vocibus *μισοφίλιππος* (§ 66, 73) aut *μισαλέξανδρος* (cf. §§ 66, 73) aut *ὁ νυνὶ κελεύων τῶν Μακεδόνων καταπτύειν* (§ 73). Summae vero ignominiae dat Demostheni, quod sceleste in ceteros legatos se gesserit. Quin etiam confirmat eum rei publicae instituta spernere (cf. § 16). Quod Thebanis summum imperii bello Philippico concessit, eum rem publicam sustulisse his vocibus contendit: *Δεύτερον δὲ καὶ πολὺ τούτου μεῖζον ἀδίκημα ἠδίκησεν, ὅτι τὸ βουλευτήριον τὸ τῆς πόλεως καὶ τὴν δημοκρατίαν ἄρδην ἔλαθεν ὑφελόμενος, καὶ μετήνεγκεν εἰς Θήβας εἰς τὴν Καδμείαν, τὴν κοινωνίαν τῶν πράξεων τοῖς Βοιωτάρχοις συνθέμενος* (§ 143). Restat, ut singularium vocum contumeliosarum mentionem faciam. Sunt gravissimae hae: § 79 *ὁ μιαρὸς ἄνθρωπος*, § 101 *ὁ μιαρὸς καὶ ἀνόσιος ἄνθρωπος*, § 131 *ὦ τῆς Ἑλλάδος ἀλιτήριε* (cf. § 157), § 167 *ὦ κίναιδος*, § 182 *τοῦ θηρίου τούτου*, § 207 *ἐπεισάξει γὰρ* (*Κτησιφῶν*) *τὸν γόητα καὶ βαλλαντιοτόμον καὶ διατετμηκότα τὴν πολιτείαν.* Ex magno numero conviciorum intellegimus tertiam orationem maledictis ceteras superare. Similiter igitur in Aeschinis orationibus acerbitas conviciorum paulatim crevit atque in Demosthenis, quamquam ille non plane

eadem ratione progreditur qua hic. Demosthenes in oratione de corona multis inusitatis vocabulis utitur et convicia nonnullis locis conglobat, Aeschines maledicta per totam fere orationem distribuit.

Transeamus ad Lycurgum, cuius oratio Leocratea paulo ante 330 habita est. Cum haec una oratio Lycurgi nobis servata sit, diiudicare non possumus, num eius ratio dicendi paulatim mutata sit[1]. Si Leocrateam cum Aeschinis Demosthenisque orationibus aequalibus conferimus, conviciis paene libera esse videtur. Nam quod saepius confirmat Leocratem patriam prodidisse non pro convicio habendum est. Cum enim Atheniensibus post cladem apud Chaeroneam acceptam magnum impenderet periculum, Leocrates ex urbe discessit Rhodumque se contulit, quo urbem esse captam nuntiavit. Concedo rationem dicendi acriorem fieri, quod semel atque iterum urbem a Leocrate esse proditam contendit. Sed talia convicia, qualia apud Aeschinem et Demosthenem invenimus, omnino deesse videntur. Gravissima in §§ 43, 68, 90, 148 sunt, quibus cedunt nonnulla in §§ 8, 26, 27, 58, 74, 110, 132, 134, 136, 142 prolata. Multo minus igitur adhibet maledicta quam Aeschines et in ultimis orationibus Demosthenes, si voces *προδότης, προδοσία, προδιδόναι* omittimus. Inter omnes constat eum id studuisse, ut, quae neque iusta neque bona putaret, plane exstingueret et deleret. Qua in re quin interdum modum transierit, non dubito. Sed quo loco Lycurgus Leocratis parentibus vel condicioni, qua usus est, obtrectat? Vix excogitari potest, quae convicia Aeschines vel Demosthenes in Leocratem effusuri fuerint, quia una cum meretrice Eirenide ex urbe fugit. Etiamsi nonnumquam propter integritatem morum acrius quam debuit in adversarios animadvertit, tamen effecit, ut illas voces, quas ipse in § 11 pronuntiat *Ποιήσομαι δὲ κἀγὼ τὴν κατηγορίαν δικαίαν οὔτε ψευδόμενος οὐδὲν οὔτ' ἔξω τοῦ πράγματος λέγων.* (*οἱ πλεῖστοι*) *ἢ γὰρ συμβουλεύουσιν ἐνταῦθα περὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων ἢ κατηγοροῦσι καὶ διαβάλλουσι πάντα μᾶλλον ἢ περὶ οὗ μέλλετε τὴν ψῆφον φέρειν* solveret. Haec verba optime testantur Athenienses ipsos non fugisse, quantopere hac aetate libido conviciandi in iudiciis crevisset.

Liber est conviciis etiam Hyperides, aequalium facile facetissimus et lepidissimus, in eis, quae nobis servatae sunt, orationibus. Ne in

[1] Lycurgum omnino ante annum 338 orationes non edidisse Alfredus Koerte demonstravit (Hermes LVIII, pg. 235).

acerrima quidem oratione, quam in Demosthenem habuit, a vituperando descendit ad conviciandum. Offendas fortasse in singulis rebus huius orationis. Accusat enim Demosthenem, quod pro Alexandro verba fecerit (cf. col. XXXI ed. Blass-Jensen) vel dona in patriam sumpserit (cf. col. XXI, XXVI, XXXIV, XXXV, XXXVIII, XL). Sed omnia haec opprobria tam eleganter proferuntur, ut nulla exstent convicia.

Contra Dinarchus calumniando et conviciando omnes antecessores superat. Huius enim oratio in Demosthenem habita mihi nihil nisi unum magnum convicium videtur esse, quod vix ullo loco intermittitur. Secunda et tertia orationes non totae servatae sunt[1]. Itaque potissimum inspiciamus, quae ratio scribendi sit in Dinarchi oratione adversus Demosthenem habita. Id eo melius nobis continget, quod reum ipsum, eius vitam factaque novimus. Unde fit, ut plurima, quae Dinarchus de Demosthene tradit, accurate examinare possimus. Causa ipsa quidem postulabat, ut Demosthenem esse pecunia corruptum firmaret. Sed rem similiter atque Hyperides variat. Non dubitat contendere Demosthenem contra patriam pecuniam cepisse (cf. §§ 3, 4, 13, 15, 26, 29, 40, 47, 60, 64, 70, 77, 98, 99, 107, 108, 112), id quod ipse vix credidit. Deinde eum proditorem atque hominem fraudulentum putat (cf. §§ 41, 47, 49, 64, 66, 77, 91, 103, 107, 109). Immo pronuntiat eum omnibus rebus, quas in re publica administranda gessit, cupiditateque pecuniae totam Graeciam perdidisse (§§ 22, 31). Neque vero haec argumentis firmat, sed singulas calamitates oratoris enarrare satis habet, quibus implicatus erat ille. Audacissime vero Demosthenem vituperat, qui auctor fuerit Thebanorum seditionis, qua illud oppidum ab Alexandro deletum atque exstinctum est (§§ 18—27). Haec tota expositio maledictis a Dinarcho instituitur: *Οὐκ ἀποκτενεῖτε, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν μιαρὸν τοῦτον ἄνθρωπον, ὃς πρὸς ἑτέροις πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἁμαρτήμασι καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν περιεῖδεν ἀνάστατον γενομένην* . . . At summa cum intemperantia, quae nullo modo augeri potest, in oratorem invehitur in § 24 *διὰ δὲ τοῦτον τὸν προδότην παῖδες καὶ γυναῖκες αἱ Θηβαίων ἐπὶ τὰς σκηνὰς τῶν βαρβάρων διενεμήθησαν, πόλις ἀστυγείτων καὶ σύμμαχος ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται . . . καὶ οὐκ ἠλέησε, φημί, ὁ μιαρὸς οὗτος πόλιν οὕτως οἰκτρῶς ἀπολλυμένην* . . ., *ἀλλὰ πρὸς οὓς εὐτυχοῦντας πολλάκις ἦλθε, τούτους ἀτυχοῦντας προδέδωκεν.* Deinde eum favere Macedonum

[1] Fridericus Blass, Die attische Beredsamkeit III 2[2], pg. 315/316.

partibus, immo rationem Macedones adulandi Athenienses docuisse contendit in § 28 *τὸ κολακεύειν τοὺς Μακεδόνας πρῶτος εἰς τὴν πόλιν εἰσάγων* (cf. Hyp. I col. XVII). Porro eum, qui sequantur, perdere (§§ 30—33), Graeciam ipsam in pericula adduxisse, nihil egisse, dum Alexander in India versaretur, sed domi luxuriose vitam egisse ex §§ 35, 36 comperimus. Eum igitur omnia, quae Atheniensibus detrimento erant, commisisse dicit. Iam Aeschines Demosthenem ex pugna fugisse insimulaverat. At hoc crimen Dinarcho non sufficit. Sed in § 12 narrat eum ex proelio decessisse solum (*ἔλιπες μόνος αὐτὸς τὴν ἐκεῖ τάξιν* (cf. §§ 71, 81, 82). Demosthenem vero, cum Athenas redisset, se ipsum legatum creasse, ut tutus esset, si Philippus in Atticam incursionem faceret, legimus in § 80 (*ἐπειδὴ ἤκουσε μετὰ τὴν μάχην τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ Φίλιππον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν μέλλειν εἰσβάλλειν αὐτὸς ἑαυτὸν πρεσβευτὴν κατασκευάσας, ἵν' ἐκ τῆς πόλεως ἀποδραίη*). Postquam aliis vocibus idem fere protulit, iterum repetit, quam ignavum Demosthenes in rebus adversis se semper praebuerit (§ 82 *τοιοῦτος οὗτος ἐν μὲν ταῖς παρατάξεσιν οἰκουρός, ἐν δὲ τοῖς οἴκοι μένουσι πρεσβευτής, ἐν δὲ τοῖς πρεσβευταῖς δραπέτης ἐστίν*). Quod oratoris avia natione erat Scytha, Dinarchus eum ita obiurgat in § 15 *τὸν κατάπτυστον τοῦτον καὶ Σκύθην* vel in § 95 *οὔτε τῷ γένει τῆς πόλεως πολίτης οὔτε τοῖς πεπολιτευμένοις αὐτῷ καὶ πεπραγμένοις.* Neque vero fieri potest, ut tot conviciorum mentionem faciam, quibus in omni fere paragrapho occurrimus. Non nisi gravissima quaeque vocabula enumerabo. Praeter vocem *προδότης* (cf. §§ 66, 77, 103, 107) legimus voces *δωροδόκος* (§ 113), *μισθωτός* (§ 28), *κλέπτης* (§ 77). Porro invenimus vocabula *θηρίον* (§§ 10, 50), *ἀλιτήριος τῆς Ἑλλάδος* (§ 77), *κάθαρμα* (§ 16), *δραπέτης* (§ 82), *γόης* (§ 92), *γοητεία* (§ 66). Accedunt nonnulla adiectiva *κατάπτυστος* (§ 15), *μιαρός* (§§ 18, 21, 50, 92), *ἀσεβής* (§ 21), *αἰσχροκερδής* (§ 21), cf. *αἰσχροκέρδεια* (§ 108), *κακόνους τῇ πολιτείᾳ* (§ 112).

Certe ex eis, quae exposui, concludere possumus hac in oratione tot tantaque convicia inesse, quanta in nulla alia praecedenti indagavimus. Quoniam igitur ceterae Dinarchi orationes item in causa Harpalica habitae sunt, similem esse rationem scribendi verisimillimum est. In prima quoque paragrapho secundae orationis Aristogitoni ita maledicit *ὁ γὰρ πονηρότατος τῶν ἐν τῇ πόλει μᾶλλον δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων Ἀριστογείτων.* Tum maledicta sequuntur maledicta. In § 2 Aristogitonem plus temporis intra carcerem quam extra versatum esse, in § 3 talem nequitiam, quae quasi inveteraverit, cohiberi

non posse affirmat, nisi funditus exstinguatur. Sed hic respondeat quispiam illa opprobria, cum Aristogito fuerit homo nequissimus, probanda esse. Neque vero ratio maledicendi accipienda est. Voces quales *θηρίον* (§ 10) et *κατάρατος* (§ 4) laudandae non sunt aut quae legimus in § 15 *ἄνθρωπος γνώριμον καὶ φανερὰν καὶ περιβόητον τὴν πονηρίαν παρὰ πᾶσι τοῖς πολίταις ἔχων*. Certe crimina in Aristogitonem prolata magna ex parte vera sunt, quia reus ipse summa erat improbitate et nequitia.

Sed plurima, quae Philocli obicit, Dinarchum mentitum esse Fridericus Blass mihi recte iudicare videtur[1]. Itaque tertia et prima orationes inter se simillimae sunt, quia ab exordio usque ad perorationem adversario maledicere non desistit. Quin etiam Dinarchum tum eo vehementius reos calumniari credo, quo integriores erant eorum mores et vita. Hoc apparet, cum primas tertiae orationis paragraphos legimus (§§ 1—3: *Τί χρὴ λέγειν περὶ τοιούτων ἀνθρώπων ἢ πῶς χρήσεσθε τῇ τούτου πονηρίᾳ, ὃς οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ τρὶς ἐξεληλεγμένος . . . καὶ ἐψευσμένος ἁπάντων Ἀθηναίων ἐναντίον . . . καὶ δῶρα τολμήσας λαβεῖν κατὰ πάντων ὑμῶν καὶ τῆς χώρας καὶ παίδων καὶ γυναικῶν καὶ ἐπιωρκηκὼς . . . οὐ τῷ δικαίῳ πιστεύων . . . ἀλλὰ τῇ τόλμῃ καὶ ἀναιδείᾳ, ᾗ χρώμενος πρότερον μὲν ἠξίωσε καταφρονήσας ὑμῶν καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει δικαίων τὰ χρήματα λαβεῖν*). Scilicet eadem fere sunt opprobria, quae Demostheni fecit. Philoclem fallere et prodere Athenienses, quod ab Harpalo dona acceperit (cf. §§ 4, 7, 9, 12, 14, 18, 19). Qua de causa eum rem publicam evertere et in *μισοδήμοις* numerandum esse. Quae cum ita sint, non miramur vocabula primae orationis qualia *προδότης, δωροδοκία, θηρίον* redire. Plenae sunt igitur conviciorum omnes tres Dinarchi orationes, quarum prima acerrima, secunda paulo moderatior est. Quae scripta si cum aliorum orationibus comparabimus, dubium esse non potest, quin nullus alius orator tantopere adversariis maledixerit quantopere Dinarchus. Quid enim ex illius orationibus de reis comperimus? Demosthenem nusquam rei publicae profuisse, sed omnia sui ipsius emolumenti causa egisse. Philoclem in eorum numero habendum esse, qui Aristogitonis simillimi sint (§ 12 *καὶ εἰς τὸ αὐτὸ κατέστησεν ἑαυτὸν Ἀριστογείτονι*). Describit enim adversarium quisquis est hominem nequissimum. At id studium adversario maledicendi idem fere est, etiamsi hoc loco vehementius esse concedo, quod Demosthenes in ultimis orationibus prae se fert.

---

[1] Die attische Beredsamkeit III 2^{2}, pg. 317.

Orationibus ceterorum Demosthenis aequalium tractatis iure firmare possumus et Lycurgum et Hyperidem vix adversario maledicere. Apud Aeschinem et apud Demosthenem convicia paulatim augeri. Tres Dinarchi orationes calumniando antecedere omnes priores. Hic vero, quoniam Demosthenem imitatur, non assequitur summi oratoris Attici artem variandi, qua viget Aristogitonia. Nihilominus concludere mihi liceat eloquentiam et totam rationem iudicandi clade ad Chaeroneam accepta magis magisque in peius versam esse. Neque vero tum demum illa depravatio orta est, sed apud Demosthenem iam triginta fere annis ante prima indicia invenimus, id quod Ivo Bruns maxima ex parte bene ostendit. Quae cum ita sint, mirum non est Demosthenem in Aristogitonia rationem dicendi eximia arte ad tantam vim auxisse atque excoluisse, quantam in nulla alia eius oratione explorabimus.

3.

Quamquam prima parte orationem vicesimam quintam a nullo alio nisi a Demosthene compositam esse satis me demonstrasse puto, tamen nonnulla de Aristogitoniae dictione adiungam. Ac primum quidem investigabo, utrum permultae voces in oratione insint, quae a Demosthenis sermone plane alienae sunt, necne. Nam propter talium verborum usum multi viri doctissimi Aristogitoniam priorem a Demosthene abiudicaverunt[1]. Neque vero illorum rationem argumentandi sequar. Ut inusitata vocabula investigemus, voces, quae solum in Aristogitonia vel simul in aliis orationibus Demostheni falso adscriptis exstant, colligendae sunt. At Reinholdus Braun ex illis eximit verba, quae ad res proprias et semel commemoratas pertinent[2]. Sed si haec exempla excusat, etiam voces *κάπηλος, παλιγκάπηλος, μεταβολεύς* aliaeque ei afferendae erant. Accedit, quod vocabula *σκορπίος, κέντρον, φάραγξ, κώδων, ἔχις, φαλάγγιον* sumpta sunt ex translationibus, quas a Demosthenis scribendi ratione ab-

---

[1] Carolus Cobet, Miscellanea critica, pg. 566/567; Arnoldus Schäfer, III 2^{1}, pg. 125; Antonius Westermann, Quaest. Demosth. III, pg. 99/100; Reinholdus Braun, pg. 4—11; Hugo Stier, pg. 10—13; Richardus Schläfke rem in medio relinquit (pg. 73).

[2] Talia sunt § 9 *πρόγραμμα*, §§ 23, 28 *κιγκλίς*, § 38 *σκυλόδεψος*, § 49 *ἐπιστάται τῶν κοπρώνων*, § 52 *σκορπίος, κέντρον*, § 57 *πωλητήριον* § 61 *κιβώτιον*, § 76 *φάραγξ*, § 90 *κώδων*, § 96 *ἔχις* et *φαλάγγιον*.

horrere Reinholdus Braun semel iterumque confirmat[1]. Quocirca non habet, quod has ipsas voces excuset. Huius rationem secutus est Richardus Schläfke[2]. Qui sibi ipsi repugnat, cum in § 46 phrasi *ζυγὰ καὶ στάθμ' ἔχων* (cf. pg. 61) non offendat, voces *κάπηλός* (cf. pg. 65) *ἐστιν πονηρίας καὶ παλιγκάπηλος* (cf. pg. 68) [*καὶ μεταβολεύς*][3] a Demosthenis ratione scribendi abhorrere putet. Quid denique obstat, ne alia vocabula, quae translate usurpantur, hic afferam, qualia sunt *ἀθλητής* (cf. pg. 62), *ἀποσχοινίζειν* (cf. pg. 63), *ταῦτα γεωργεῖ, ταῦτ' ἐργάζεται* et *διαβαπτίζεσθαι* (cf. pg. 64), *ἐξάπτεσθαι* (cf. pg. 65), *κύων τοῦ δήμου, μοσχεύειν, νεαλής, ταῦτ' ὁδῷ βαδίζει* (cf. pg. 66), *πολιορκεῖσθαι* (cf. pg. 68), *ταριχεύειν* (cf. pg. 69), *ὑποδύομαι παρὰ ταῦτα* (cf. pg. 70). Haec paulo copiosius exposui, ut demonstrarem, quomodo, si singula exciperemus, omnia confunderentur. Praeterea autem sole clarius est Demosthenem in unaquaque oratione voces adhibuisse, quas in aliis non protulit. Respiciamus exempli causa, quae vocabula adhibuerit, cum in XVIII §§ 257—264 de Aeschine eiusque parentibus verba faceret. Itaque Reinholdi Braun et Richardi Schläfke rationes probare non possum. Illa vocabula, quae tantum in Aristogitonia exstant, sine ullo discrimine nobis sunt colligenda. Qua re perfecta nos perscrutari necesse est, num illa ipsa fortasse apud alium scriptorem, vel aequalem vel priorem, scripta legamus. Etiam hac de re cum Reinholdus Braun (pg. 5—10), tum Richardus Schläfke (pg. 31—70) accurate egerunt. Sine dubio utriusque tabulis illustratur maximam partem illarum vocum, quas a Demosthenis elocutione alienas putant, eius aetate iam in usu fuisse. Quod ut melius cognoscamus, iterum tabulam vocum a Demosthene non nisi in oratione vicesima quinta usurpatarum conficiam:

ἀδόκιμος § 36: Isocr. XII 5; Din. I 67.
αἰδώς § 32: passim inde ab Homero (*ϑ* 480).
ἀκουᾶν § 46: Xenoph. hist. Graec. VII 5, 20.

[1] cf. pg. 11—14.

[2] Hic non reprehendit 1. „verba, quae e sermone iudiciali sumpta sunt (cf. pg. 58/59), 2. verba, quae spectant ad homines vel res cum causa Aristogitonia quodammodo cohaerentes (cf. pg. 59/60), 3. verba, quae leguntur in exemplis vel imaginibus, quae ex vita cotidiana variisque hominum negotiis hausta sunt. Hic enim minus in singulis vocibus offendendum est, quas etiam Demosthenes occasione data usurpaturum esse verisimile sit, quam in ipsis imaginibus pingendis (cf. pg. 60—62)."

[3] Vox *μεταβολεύς* eum fugisse videtur. Neque enim ullo loco apud Richardum Schläfke investigavi. Etiam adiectivum *τρισκατάρατος* deest.

ἀκούσιος § 16: Plat. leg. 733 D saepiusque.
ἅλυσις § 28: Aristoph. frg. 320 v. 12 (Kock).
ἄμεικτος § 52 cf. §§ 58, 63: Aeschyl. Agam. 321; Plat. Phileb. 27 E aliisque locis.
ἀνάμεστος § 32: Aristoph. Nub. 984.
ἀνασείειν § 47: Thuc. IV 38; Lys. VI 51.
ἀνείργειν § 48: Xenoph. hist. Graec. VII 1, 31; Plat. leg. V 731 D aliisque locis.
ἀνεξέλεγκτος § 39: Thuc. I 21 saepiusque; Xenoph. oec. X 8; cyn. XIII 7.
ἀνίδρυτος § 52: Eur. Iph. Taur. 971; cf. Aristoph. Lys. 809 (*ἀίδρυτος*).
ἀντεγγράφειν § 73: Aristot. resp. Athen. 36, 2.
ἀντιβλέπειν § 98: Xenoph. mem. IV 7, 7; Men. frg. 586.
ἀνώμαλος § 15: Phryn. frg. 20, 3; Plat. Tim. 58 A.
ἀπαραίτητος § 11: Plat. leg. X 907 B; Lycurg. § 2; Hyp. in Demosth. col. XIV 27 (ed. Blass-Jensen).
ἀπεσθίειν § 61: Hermipp. frg. 24; Plat. com. frg. 138.
**ἀποιωνίζεσθαι*[1] § 80: cf. *οἰωνίζεσθαι* Xenoph. inst. Cyr. I 6, 1; hist. Graec. I 4, 12.
ἀποκαύειν § 95: passim inde ab Homero (*Φ* 336).
ἀποκληροῦν § 27: Her. II 32; Diod. com. frg. 2 v. 26.
ἀποκόπτειν § 95: passim inde ab Homero (*Λ* 261).
ἀπόκρημνον § 76: Her. III 111; Thuc. IV 31.
ἀποστάσιον § 65: Aristot. resp. Athen. c. 58, 3.
**ἀποσχοινίζειν* § 28: Philo I, pg. 205, 219 (Cohn-Wendland); Plut. moral. 443 b.
**ἄσπειστος* § 52: Nic. theriaca 367.
ἄστρον § 75: passim inde ab Homero (*Θ* 555).
ᾄττειν § 52: Plat. Theaet. 144 A; apud Aristophanem saepius.
αὐτοχειρία § 57: Her. III 13; Xenoph. hist. Graec. VI 4, 35.
ἀψοφητί § 90: Plat. Theaet. 144 B.
βασίλειος § 23: Her. III 61 aliisque locis, Aristoph. eccl. 685.
βάσιμος § 76: Xenoph. exped. Cyri III 4, 49.
βούλευσις § 28: cf. Hyp. in Athenog. I apud Harpocrationem sub voce *βούλευσις*.
βραδύς § 24: passim inde ab Homero (*ϑ* 329).
βρωτός § 61: Eur. suppl. 1110; Xenoph. memor. II 1, 1.

[1] Voces, quas Demosthenes in Aristogitonia primus usurpavit, signo * notavi.

γεύεσθαι § 40: passim inde ab Homero (Φ 61).

*δακτυλοδεικτεῖν § 68: Dionys. Hal. ars rhet. VII 4, pg. 273, 12.

*διαβαπτίζεσθαι § 41: Polyaen. IV 2, 6.

*διατρέπεσθαι § 95: cf. διατρέπειν (Polyb. II 47, 8; V 4, 10).

δίδυμος § 79: passim inde ab Homero (τ 227).

δυσκατάπαυστος § 49: Aeschyl. choeph. 470; Eur. Med. 109.

ἐγγύη § 86: Homerus (ϑ 351) aliique.

*ἐλαιοπώλης § 47: Pollux VII 198.

ἐνάμιλλος § 54: Plat. resp. IV 433 D aliisque locis.

ἐξάγιστος § 93: Soph. Oed. Col. 1526; Aesch. III 107, 113, 114, 119.

ἐξάπτεσθαι § 90: ἐξάπτειν passim apud Homerum (X 397, Ω 51) aliosque.

ἐπανόρθωμα § 16: Plat. Theaet. 183 A.

ἐπεισιέναι § 23: Her. VII 210; Plat. Tim. 81 D.

ἐπίληπτος § 80: Soph. Ant. 406.

ἐπῳδή § 80: Hom. τ 457; Pind. Pyth. 3, 52.

ἐρευνᾶν § 61: passim inde ab Homero (Σ 321; τ 436; χ 180).

εὐκοσμία § 9: Eur. Bacch. 693; Isocr. VII 37; Aesch. I 192, II 6.

εὐνομία § 35: Her. I 65; Aristoph. av. 1540; Xenoph. hist. Graec. IV 4, 6.

εὐταξία § 24: Isocr. VII 39, 82 alibique.

εὐφημεῖν § 101: passim inde ab Homero (I 171).

ἔχις §§ 52, 96: Plat. conv. 217 E.

ζυγόν § 46: passim inde ab Homero (E 730).

ζωγράφος § 52: Plat. leg. II 656 E; resp. VI 501 C.

ἱδρύειν § 35: passim inde ab Homero (B 191).

ἵλεως § 53: passim inde ab Homero (A 583).

*κακοπραγμοσύνη § 101: Polyb. IV 23, 8; IV 27, 2 aliisque locis.

κάπηλος § 46: Her. II 141; III 89; Aristoph. pax 447, 1209.

καρκίνος § 95: Aristoph. eq. 608; pax 1083; Plat. Euthyd. 297 C.

κατατάττειν § 13: Plat. leg. XII 945 A; Xenoph. inst. Cyri III 3, 11.

*κατεγγύη § 60: [κατεγγυᾶν XXXII 29].

κέντρον § 52: Aeschyl. Prometh. 323 et passim.

κιβώτιον § 61: Aristoph. Plut. 711/12 aliique.

κιγκλίς § 23 (cf. § 28): solum apud Aristophanem eq. 641; vesp. 124, 775 legi.

κοπρών § 49: Aristoph. pax 99; thesmoph. 485.

κουρεῖον § 52: Aristoph. av. 1441; Plut. 338; Lys. XXIV 20.

κύων § 40: passim inde ab Homero.

κώδων § 90: Aristoph. pax 1078; Aeschyl. sept. adversus Thebas 399.

λοιμός § 80: passim inde ab Homero (A 61).

λύκος § 40: passim inde ab Homero (Δ 471).

λύχνος § 61: Aristoph. nub. 18, 56, 57; Xenoph. conv. 7, 4.

μαγγανεύειν § 80: Aristoph. plut. 310; Polyb. XV 29, 9.

μαθητής § 44: Her. IV 77; Aristoph. nub. 140, 142.

*μεταβολεύς § 46: Eustath. ad. Hom. Il. pg. 1347, 40 (Ω 230).

μεταρρίπτειν § 90: Simonides frg. 43 (Bergk).

μετριότης § 76: Thuc. I 38; Xenoph. inst. Cyri V 2, 17; Aesch. III 218.

*μιαιφονία § 84 (μιαιφονεῖν XIX 260): Diod. XVII 5; Plut. moral. 857 A.

*μοσχεύειν § 48: Theophr. de caus. plant. I 2, 1; III 5, 1.

μυροπώλιον § 52: Lys. XXIV 20; Aristoph. apud Pollucem VII 177.

νεαλής § 61: Xenoph. inst. Cyri VIII 6, 17; Plat. vir civ. 265 B.

νεῖκος § 52: passim inde ab Homero (ϑ 75).

νεώς § 34: Aeschyl. Pers. 810 aliique.

νουμηνία § 99: Pind. Nem. IV 35; Aristoph. eq. 43; nub. 1191, 1195, 1196.

παιδία § 88: passim inde ab Aeschylo (Prometh. 314).

παιδοποιεῖν § 80: Soph. Elect. 589; Aristoph. eccl. 614 aliique.

*παιδοτριβεῖν § 7: Plut. moral. pg. 795 E (παιδοτρίβης Aristoph. nub. 793; eq. 1238).

παλιγκάπηλος § 46: solum apud Aristophanem (plut. 1156) inveni.

παρακινδυνευτικός § 43: Plat. soph. 242 B.

παράλογος § 32: Thuc. II 85; VII 28.

*παρανοίγειν § 28: Lucian. bis accus. 31; Alciphr. ep. II 27 (Schepers).

παροιμία § 89: Aeschyl. Agam. 264; Aristoph. thesmoph. 528.

*περισχοινίζειν § 23: Pollux VIII 123 (fortasse ex Aristotelis resp. Athen. transscriptum).

περιττός § 20: Aeschyl. sept. ad. Theb. 1043; Eur. Hippol. 948.

πνεῖν § 57: passim inde ab Homero (ε 469).

ποτόν § 61: passim inde ab Homero (Λ 630).

πράκτωρ § 28: Soph. Trach. 251; Antiph. VI 49; Andoc. I 77, 79.

πρᾶσις § 58: Plat. leg. VIII 849 B; Aesch. I 115.

πρόγραμμα § 9: Aristot. resp. Athen. c. 44, 2; 66, 3.

*προευλαβεῖσθαι § 95.

προσφοιτᾶν § 52: Lys. XXIII 3; XXIV 20.

πωλητήριον § 57: Xenoph. de vectig. 3, 13.

πωλητής § 58: Antiph. VI 49; Aristot. resp. Athen. c. 7, 3.
ῥαπίζειν § 57: Hyp. frg. 97; Polyb. VIII 8, 6.
ῥίζα § 48: Hom. *Λ* 846; *κ* 304. passim.
ῥίς § 61 (cf. § 62): passim inde ab Homero (*E* 291).
σανίς § 70: saepius apud Homerum (*M* 121, 453, 461 aliisque locis).
σκορπίος § 52: Plat. Euthyd. 290 A; Eup. frg. 231.
σκυλόδεψος = *σκυλοδέψης* § 38: solum apud Aristophanem eccl. 420; av. 490 legi.
σπαράττειν § 50: Aeschyl. Prometh. 1018; Aristoph. ranae 428.
σταθμόν = *σταθμός* § 46: passim inde ab Homero (*B* 470).
στασιώδης § 41: Xenoph. memor. II 6, 4.
συγγενικός § 89: Alexis frg. 30 v. 7.
συνεργεῖν § 97: Eur. Hel. 1427; Aesch. III 7; Xenoph. memor. II 6, 21.
ταραχώδης § 41: Thuc. I 49; Xenoph. inst. Cyri III 3, 26 cf. Dem. ep. III § 10.
ταριχεύειν § 61: Aeschyl. choeph. 296; Her. II 67 et 69.
τελετή § 11: Pind. Olynth. III 41; Aristoph. nub. 304; vesp. 121; pax 413, 419.
τέμνειν § 46: passim inde ab Homero (*N* 501).
**τρισκατάρατος* § 82: Men. epitrep. 646 (ed. Sudhaus 1914).
ὑπεξιέναι § 20: Her. VII 211, 223; Plat. Phaed. 103 D.
**ὑπερδιατείνεσθαι* § 1: Lucian. Hermot. c. 26 (cf. *διατείνεσθαι* Dem. XVIII § 142; XX § 143).
φαγέδαινα § 95: Aeschyl. Philoct. apud Aristotelem (ars poet. 22, 1458 b).
φαλάγγιον § 96: Plat. Euthyd. 290 A.
φάραγξ § 76: Aeschyl. Prometh. 142; Aristoph. eq. 248.
φαρμακίς § 79: Aristoph. nub. 749.
φαρμακός § 80: Aristoph. eq. 1405; Lys. VI 53.
φυσιογνωμονεῖν § 98: Aristot. physiogn. 805 a, 18 sqq.
χαλκοτύπος § 38: Hom. *T* 25; Xenoph. hist. Graec. III 4, 17.
χολή § 27: passim inde ab Aeschylo (Prometh. 495).
χωννύναι § 84 = *χοῦν*: Her. I 162; Thuc. II 75 aliique.

Consulto omnia vocabula, quae in ceteris orationibus desunt, collegi. At primo obtutu apparet mero casu factum esse, ut multae voces inde ab Homero in sermone Graeco creberrimae velut *αἰδώς, ἄστρον, βραδύς, κύων, λοιμός, λύκος, ποτόν, ῥίς* apud Demosthenem alibi nusquam occurrant. Neque vero earum vim tantopere, quantopere

Reinholdus Braun et Richardus Schläfke respexi. Ille enim (pg. 10) improbat verbum *νουθετεῖν*, quod in § 94 passivum legimus. Sed id iam praebet prooemium XLVI § 3 et ipse Sophocles (Oed. Col. 1193). Similiter res se habet in verbis *κακολογεῖν* (§ 94), *ἐκ τοῦ παραδόξου* (§ 32) multisque in aliis. Richardus Schläfke offendit in verbo *ἀλγεῖν* c. dat. (pg. 62). Demosthenem enim in XVIII § 41 id usurpare cum *ἐπὶ* c. dat. Sed ipse affert locos ex Sophoclis operibus (El. 1201; Oed. Col. 744), ubi verbum cum dativo iungitur. Praestat cum usu verbi *ἀλγεῖν* usum verbi *χαίρειν* comparare. Hoc enim in XIX § 96, in II § 15, in XLV § 85 cum dativo coniunctum legimus (cf. XXV § 45 et quae Richardus Schläfke in pg. 70 exposuit). Solum in XVIII § 217 legimus *ἐφ' οἷς ἔχαιρον οἱ ἄλλοι.* Quae cum ita sint, nemo erit, qui confirmet verbum *χαίρειν* coniunctum cum *ἐπὶ* c. dat. omnino abhorrere a Demosthenis ratione dicendi. *ἀναβαίνειν* (§§ 9, 99) *εἰς τὰς ἐκκλησίας* redit in prooemiis VI (§ 1) et XIV (§ 1). Ne singula enumerem, tantum illarum vocum *ἄνω τε καὶ κάτω* (§ 47) mentionem faciam, ubi Richardus Schläfke non probat particulam *τε.* Quamvis nullo alio loco vocem *τε* additam legamus, non habemus, quod hunc locum plane a Demosthenis ratione dicendi alienum censeamus. Nam ut Plato (Phileb. 43 B) scribit *κάτω τε καὶ ἄνω*, ita Demostheni voces *ἄνω τε καὶ κάτω* concedendae sunt. Consentaneum igitur est Demosthenem modo hac modo illa ratione singulas voces adhibuisse.

Sed utut res se habet, sunt omnino centum triginta una voces, quas tantum in Aristogitonia apud Demosthenem legimus. Quo ex numero non minus centum tredecim iam ab aequalibus vel priorum temporum scriptoribus usurpantur. Restant haec duodeviginti vocabula: § 1 *ὑπερδιατείνεσθαι*; § 7 *παιδοτριβεῖν*; § 23 *περισχοινίζειν*; § 28 *παρανοίγειν*; *ἀποσχοινίζειν*; § 41 *διαβαπτίζεσθαι*; § 46 *μεταβολεύς*; § 47 *ἐλαιοπώλης*; § 48 *μοσχεύειν*; § 52 *ἄσπειστος*; § 60 *κατεγγύη*; § 68 *δακτυλοδεικτεῖν*; § 80 *ἀποιωνίζεσθαι*; § 82 *τρισκατάρατος*; § 84 *μιαιφονία*; § 95 *προευλαβεῖσθαι*; *διατρέπεσθαι*; § 101 *κακοπραγμοσύνη*. Cognoscimus igitur numerum vocum inusitatarum non tantum esse, quantum Reinholdus Braun et Richardus Schläfke opinantur.

Praeterea magni interest in §§ 9, 46, 52, 57, 61, 80, 95 quinas vel plures voces exstare, quas non in aliis Demosthenis orationibus scriptas invenimus. Quin etiam § 52 continet duodecim. In his paragraphis summa vi et summo ardore in adversarium invehitur orator. Ut vero vim vocum augeat, non spernit singula vocabula ex sermone vulgari

dempta. Quocirca cum comoedia Aristogitonia quasi affinitate coniuncta est. Voces quales *σκυλόδεψος*, *παλιγκάπηλος*, *κοπρών*, *ἀνάμεστος*, *κιβώτιον* ante Demosthenem solum in comoedia exstare mihi videntur. Sunt enim cotidiani, immo plebei sermonis.'

Neque vero totam quaestionem expediemus, nisi eadem ratione et via praecedentes Demosthenis orationes examinabimus atque cum Aristogitonia conferemus. Voces semel a Demosthene prolatas inveni centum triginta quinque in oratione de falsa legatione, ducentas quattuordecim in oratione de corona. Ex vocibus tantum in oratione duodevicesima usurpatis leguntur primum apud Demosthenem hae triginta quinque: § 11 *πομπεία*; § 16 *ἐξετασμός*; § 50 *ἑωλοκρασία*; § 70 *πόρθησις*; § 85 *χλευασμός*; § 94 *ἀγνωμονεῖν*; § 97 *οἰκίσκος*; § 111 *διακυκᾶν*; § 129 *τριηραύλης*; § 133 *σεμνολόγος*; § 139 *ἰαμβειοφάγος*; § 198 *ἐνευδοκιμεῖν*; § 204 *καταλιθοῦν*; § 209 *γραμματοκύφων*; § 217 *συνευφραίνεσθαι*; § 234 *προεκλέγεσθαι*; § 237 *ἐλάττωμα*; § 258 *παιδαγωγεῖον*; § 259 *συσκευωρεῖσθαι*; *νεβρίζειν*; *κρατηρίζειν*; § 260 *σαβοῖ*; *ἐπορχεῖσθαι*; *ὑῆς ἄττης*; *προηγεμών*; *λικνοφόρος*; *ἔνθρυπτον*; *νεήλατον*; § 262 *ὀπωρώνης*; § 280 *φωνασκία*; § 284 *τυμπανίστρια*; § 288 *περίδειπνον*; § 294 *φιλιππισμός*; § 299 *ταφρεία*; § 313 *λαμπρόφωνος*.

Ex oratione de falsa legatione affero has septendecim: § 22 *ὑπαινίττεσθαι*; § 39 *συνδιαλλάττειν*; § 112 *προεξανδραποδίζειν*; § 114 *πυροπωλεῖν*; *ξυληγεῖν*; § 128 *συστεφανοῦν*; *συμπαιανίζειν*; § 139 *φιλανθρωπεύεσθαι*; § 154 *προκαταχρῆσθαι*; § 160 *ὑπερκολακεύειν*; § 167 *διακωδωνίζειν*; § 168 *προσδιανέμειν*; § 175 *συμπαραπολλύναι*; § 182 *ἀποληρεῖν*; § 191 *συστρατηγεῖν*; § 211 *ὑπεργέλοιος*; § 294 *παρεκλέγειν*.

Si has tres orationes inter se comparabimus[1], cognoscemus non modo numerum vocum a Demosthene semel usurpatarum in oratione undevicesima eundem fere esse quem in Aristogitonia, sed etiam earum numerum, quae omnino primum apud Demosthenem leguntur. In oratione autem de corona, quae ante vicesimam quintam et post undevicesimam orationem composita est, numerus vocum utriusque generis duplicatus est.

Cumulantur etiam voces inusitatae nonnullis locis similiter atque in Aristogitonia. Praeter ceteros hac in re florent illi, qui agunt

[1] Non multum interest inter orationes XVIII et XIX, cum oratio de corona habeat 324 paragraphos, 343 paragraphos oratio de falsa legatione. Aristogitonia circiter tertia pars orationis duodevicesimae est.

de Aeschinis eiusque parentum condicione tenui. In § 258 enim quinque, in § 259 septem, in § 260 novem, in §§ 296, 308 quaterna insunt vocabula, quae in nulla alia Demosthenis oratione redeunt.

Viri docti non satis habebant Demosthenem reprehendere, quod multa inusitata vocabula Aristogitoniae inseruisset, sed etiam contendebant eum supra modum participia, pronomina, negationes adhibuisse et repetivisse, id quod nusquam alibi fecisset. Sed tales iterationes a Graecis vitatae non sunt. Invenimus eas apud omnes fere scriptores. Persaepe usurpantur — ut exemplum afferam — voces *μαρτυρεῖν*, *μαρτυρία*, *μάρτυς* in XXIX §§ 15—18, verbum *μαρτυρεῖν* in XLV §§ 37—39. Pronomen *οὗτος* cum in XIX § 147 tum in XVIII §§ 1—2 saepissime adhibetur. Hae igitur iterationes nullius fere momenti esse mihi videntur. Sunt graviora illa crebra synonyma[1], quae nobis in Aristogitonia occurrunt. Nihilosetius in eis vix offendimus, praesertim cum in oratione duodevicesima, undevicesima, vicesima prima haec saepissime usurpentur, ut prima iam parte docui. Sed vituperant nonnulli non tam numerum verborum quam eorum usum[2]. Ac primum quidem Reinholdus Braun non iniuria verba *ἐσθίων κατέφαγε* (§ 62) reicere videtur. Sedsi ad totum sermonis contextum respicimus, illa ultima vocabula *κάλει μοι τἄνθρωπον, οὗ τὴν ῥῖν' ὁ μιαρὸς οὗτος ἐσθίων κατέφαγε* bene ad praecedentia quadrare puto. Nam egregie orator exponit, quomodo Aristogito in carcere se gesserit. Optime depingit eum ab altero, quem petierat, oppressum huius hominis nares abripuisse. Tum Aristogitonem ea de causa a captivis quasi proscriptum esse. Denique harum tam incredibilium rerum testem producit illum, cuius nares sycophanta nequissimus momordit. Quia autem res per se fortasse iudicibus incerta esse videbatur, in fine huius partis synonymis *ἐσθίων κατέφαγε* usus fidem vocum augere vult.

Neque vero intellego, cur Reinholdus Braun illa synonyma *αὐτὸς αὐτοχειρίᾳ* (§ 57) et *ἅπαντες κοινῇ* (§ 99) improbet. Nam similia legimus in oratione vicesima septima: *ὅσ' ἰδίᾳ ἕκαστος εἴληφεν καὶ ὁπόσα κοινῇ πάντες ἀποστεροῦσιν* (§ 12). Etiam in XIX § 167 iungit adverbium *κοινῇ* cum adiectivo *πάντες*. Denique explicandae sunt hae voces: *εἰ δ' ἔτ' ἔστι καὶ ἔσται τέωσπερ ἂν ἐκτείσῃ καὶ μενεῖ* (sc. *τὸ*

[1] Omnia bene composuit Richardus Schläfke, pg. 87.
[2] cf. Reinholdum Braun, pg. 15 et Hugonem Stier, pg. 11.

ὄφλημα), *οὗτος οὐδὲν ἀληθὲς λέγει* (§ 70). Quocum loco mihi comparanda esse videtur orationis undevicesimae § 89: *οὐ τριήρεις τριακόσιαι καὶ σκεύη ταύταις καὶ χρήμαθ' ὑμῖν περίεστι καὶ περιέσται διὰ τὴν εἰρήνην*. Verbum *μενεῖ* nihil praebet difficultatis, quia auctor eo vim verbi *περιέσται* augere vult. Omnino nihil investigavi, quod alienum esset a Demosthenis ratione scribendi, cum synonyma cumulata perlustrarem. Qua figura non deformatur, sed ornatur oratio non minus quam anaphora[1] (cf. pg. 27/28).

Anaphorae, cum creberrima sit in Aristogitonia, tantum de clarissimis exemplis agam. Talia legimus in § 51: *Οὐχὶ τῶν πολιτικῶν ἀγαθῶν . . . διατρίβει· οὐ τέχνης, οὐ γεωργίας, οὐκ ἄλλης ἐργασίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται· οὐ φιλανθρωπίας, οὐχὶ ὁμιλίας οὐδεμιᾶς οὐδενὶ κοινωνεῖ* vel in § 63: *οὐκ ἀσεβής; οὐκ ὠμός; οὐκ ἀκάθαρτος; οὐ συκοφάντης*; vel in § 90: *οὐ πρύτανις, οὐ κῆρυξ, οὐκ ἐπιστάτης, οὐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τούτου κρατεῖν δύναται*. Praeter negationes Demosthenes utitur pronomine interrogativo in § 42: *Τίς τοῦτον ἐπόθησεν, τί τῶν πρὸς τῆς πόλεως ἐλλειφθὲν . . . εἶδε; τί δ' ἀφ' οὗ νῦν λέγει, βέλτιον γεγονός*; vel in § 100: *ἢ τί ἐρεῖτ' . . .; τί ἐρεῖτ' . . .; τί φήσετε; καὶ τίς ὁ τοῦτο τολμήσων εἰπεῖν; τίς ὁ τῆς τούτου πονηρίας . . . κληρονομεῖν βουλησόμενος*; cf. §§ 33, 59.

Minime est neglegendum illud optimum exemplum, quod nobis praebent §§ 67/68: *Ἀλλὰ νὴ Δία ὅτι τὰς ἐνδείξεις κατεψηφίσασθε, διὰ ταῦτ' ὑμῖν εὔνους ἐστίν. Ἀλλὰ καὶ τοῦτ' ἄτοπον. Ἀλλ' ὅτι τὴν ἀρχὴν . . . ἀπεδοκιμάσατε; ἀλλ' ὅτι παρανόμων αὐτοῦ κατέγνωτε; ἀλλ' ὅτι πέντε ταλάντων προσετιμήσατε; ἀλλ' ὅτι δακτυλοδεικτεῖτ' ἐπὶ τῷ πονηρότατον τῶν ἁπάντων δεικνύναι*; § 68 *ἀλλ' ὅτι τῶν ὑπαρχόντων νόμων καὶ πολιτείας μενόντων οὐκ ἔνι τῶν αἰσχρῶν αὐτῷ τούτων ἀπαλλαγῆναι. Ἀλλὰ διὰ τί ὑμῖν οὗτος εὔνους ἐστίν*; Similia invenimus in §§ 77, 78.

Non deest haec figura in oratione de corona. Sane hoc in opere illud *ἀλλὰ* nullo fere loco usurpat, ut anaphoram efficiat (cf. §§ 97, 113, 308, 313). Pronomen *τίς, τί* saepius adhibetur, id quod iam ex § 121 apparet: *τί οὖν ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις*; (cf. § 301) vel ex § 158: *τίς οὖν ὁ ταῦτα συμπαρασκευάσας αὐτῷ; τίς ὁ τὰς προφάσεις ταύτας ἐνδούς; τίς ὁ τῶν κακῶν τῶν γεγενημένων μάλιστ' αἴτιος*; (cf. § 191). Incredibili quadam arte composita est § 311, ubi hanc

[1] Richardus Schläfke, pg. 86, collegit gravissima huiusmodi exempla.

figuram egregie variat (*τίς γὰρ συμμαχία σοῦ πράξαντος γέγονεν τῇ πόλει; τίς δὲ βοήθει' ἢ κτῆσις εὐνοίας ἢ δόξης; τίς δὲ πρεσβεία; τίς διακονία δι' ἣν ἡ πόλις ἐντιμοτέρα; τί τῶν οἰκείων ἢ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ ξενικῶν οἷς ἐπέστης ἐπηνώρθωται; ποῖαι τριήρεις; ποῖα βέλη; ποῖοι νεώσοικοι; τίς ἐπισκευὴ τειχῶν; ποῖον ἱππικόν; τί τῶν ἁπάντων σὺ χρήσιμος εἶ; τίς ἢ τοῖς εὐπόροις ἢ τοῖς ἀπόροις πολιτικὴ καὶ κοινὴ βοήθεια χρημάτων*)[1].

Negationem adhibet Demosthenes in anaphora cum in § 250 (cf. § 301) tum in § 322: *οὐκ ἐξαιτούμενος, οὐκ εἰς Ἀμφικτύονας δίκας ἐπαγόντων, οὐκ ἀπειλούντων, οὐκ ἐπαγγελλομένων, οὐχὶ τοὺς καταράτους τούτους ὥσπερ θηρία μοι προσβαλλόντων, οὐδαμῶς ἐγὼ προδέδωκα τὴν εἰς ὑμᾶς εὔνοιαν* (cf. § 310). Ex his exemplis, quae ex duodevicesima oratione sumpsi, facile apparet Demosthenem iam in prioribus orationibus non raro anaphoram adhibuisse.

Paulo aliter res se habet cum figura geminationis[2] (cf. pg. 29). Haec tam saepe a Demosthene in Aristogitonia adhibetur quam in nullo alio opere. Neque vero id mihi videtur mirum esse, quoniam haec figura maxime est idonea ad orationi colorem vivacem tribuendum. Itaque nonnulla exempla iam supra enumeravi (cf. §§ 58, 95, 101). Accedunt complura alia. Praecipue est illud *οὐ* (*οὐκ, οὐχ*), quod libenter orator repetit, ut rem abnuat et neget (§ 50 *οὐκ ἐκείνους ὑβρίζων, οὔ, ἀλλὰ τὴν ὑμετέραν χειροτονίαν προπηλακίζων*, § 87 *οὐχ ὅμοιον, οὔ*). Denique summam vim tribuit orationi illa geminatio verborum *οὐκ ἔστι* in § 73: *οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστι, ἀλλ' ὅταν ἐξαλειφθῇ, τότ' οὐκ ὀφειλήσει*[3].

Si rem affirmare vult, duplicat verbum *ἔστι* (*Πλὴν ἔστι νὴ Δία ἔστιν ἀδελφός τις οὗτος αὐτῷ ὁ παρὼν καὶ τὴν καλὴν δίκην αὐτῷ λαχών* § 79). In § 14 verbo bis posito iudices orat et rogat, ut ex sua ipsius voluntate verba facere sibi liceat. Denique in § 100 geminationis figura usus iudices tamquam monet, ne Aristogitonem absolvant. Neque enim ullo modo fieri posse, ut illi hac culpa liberentur (*ἢ τί ἐρεῖτ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τί ἐρεῖτ', ἂν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ γνωρίσας τοὺς ἀπεψηφισμένους*).

[1] cf. XIX § 282 *ποῖος γὰρ ἵππος, ποία τριήρης, ποία στρατεία, τίς χορός, τίς λῃτουργία, τίς εἰσφορά, τίς εὔνοια, ποῖος κίνδυνος, τί τούτων ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ γέγονεν παρὰ τούτων τῇ πόλει;*
[2] cf. Richardum Schläfke, pg. 87.
[3] cf. XXIX § 49 *οὐκ ἔστι ταῦτ' ὦ ἄνδρες δικασταὶ οὐκ ἔστιν.*

Sed etiam in aliis orationibus geminatione utitur Demosthenes. Quater negationem *οὐ* duplicat in oratione de falsa legatione (§§ 97, 186, 232, 255). Vocabula *οὐκ ἔστιν* iterata sunt in § 296. Alia verba geminata sunt in eiusdem orationis § 96: *ἣν δέδοικα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δέδοικα*, in § 97: *εἶργετ' οὖν, εἶργετ' αὐτόν* . . ., in § 222: *ἦσαν γὰρ ἄν, ἦσάν μοι φίλοι* (cf. IX § 36). Denique in § 267 pronomen repetitur: *ὑμᾶς οὖν, ὑμᾶς εὖ φρονεῖν δεῖ τοὺς πολλούς*. Duo geminationis exempla exstant in § 97. Non duplicatur adiectivum in oratione undevicesima, id quod fecit Demosthenes in XXV §§ 58, 95. At in VIII § 28 legimus: *μικρὸν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι μικρὸν πινάκιον* . . . In oratione de corona solum haec verba, ni fallor, sunt duplicata: *οὐκ ἔστι* (§§ 24, 208), *ἔστι* (§ 308), *δότε* (§ 139).

Est igitur geminatio figura Demosthenis artis scribendi propria. Neque habemus, cur in tanto numero, quantum praebet Aristogitonia, offendamus, quod nullo loco geminationis figura stulte adhibetur. Postulare non licet, ut numerus exemplorum huius aut illius figurae semper idem sit vel paulatim augeatur. Id solum diiudicare possumus, utrum hoc vel illud genus scribendi omnino scriptoris sit proprium necne. Praeterea singulas quasque figuras rebus in oratione prolatis respondere necesse est.

De translationis figura, quae coniungenda est cum allegoria, iterum praeter Richardum Schläfke[1] Reinholdus Braun[2] copiose egit. Itaque singulos locos denuo enumerare supervacaneum est. Inquisivit etiam hic vir doctissimus eadem ratione orationem de corona. Nihilominus in oratione duodevicesima multae translationes eum fugisse mihi videntur. Nam omisit maledicta translate usurpata, quae Demosthenes Aeschini vel aliis tribuit, nonnullasque alias translationes, ut elucet ex §§ 122, 127, 128, 129, 133, 136, 139, 140. Neque enim solum in translationibus numeranda sunt vocabula *θηρίον* aut *λοιμός*, sed etiam *ἰαμβειοφάγος, γραμματοκύφων, περίτριμμ' ἀγορᾶς, σπερμολόγος* aliaque[3]. Itaque certe in oratione de corona tot translationes insunt, quot in nullo praecedenti Demosthenis opere invenimus. Iam supra docui Demosthenem maledicta vix antea translate usurpavisse, quorum ex genere in oratione de falsa legatione solum vocem

---

[1] cf. pg. 82—84.
[2] cf. pg. 11—14.
[3] cf. Hugonem Stier, pg. 12.

κάθαρμα (§ 198) investigavi. Omnino in hac oratione translationes graviores legimus paucas. Sunt praecipue hae: § 81 *ἡ γὰρ ἀλήθεια καὶ τὰ πεπραγμέν' αὐτὰ βοᾷ*, § 148 *καὶ κακῶν Ἰλιὰς περιειστήκει Θηβαίους*, § 287 *ἄνω ποταμῶν πάντες οἱ περὶ πορνείας ἐρρύησαν λόγοι*. In § 259 proditionem et mores corruptos ita significat: *νόσημα γὰρ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι δεινὸν ἐμπέπτωκεν εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ χαλεπὸν καὶ πολλῆς τινος εὐτυχίας καὶ παρ' ὑμῶν ἐπιμελείας δεόμενον*. In § 136 populum comparat cum mari: *ὡς ὁ μὲν δῆμός ἐστιν ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν πάντων καὶ ἀσυνθετώτατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ κῦμ' ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ κινούμενον*. Accedunt circiter triginta translationes minoris momenti, quas hoc loco neglegam.

At aliter res se habet in oratione de corona. Iam in § 50 Aeschinis nequitiam confert cum crapula, quam ille quasi de se effuderit (*ὥσπερ ἑωλοκρασίαν τινά μου τῆς πονηρίας τῆς ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἀδικημάτων κατασκεδάσας*). Aut Aeschines cum agricola comparatur, qui semina calamitatis spargit, ex quibus omnia mala nascuntur (*ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος* § 159). Deinde Philippus cum turbine confertur, qui in Graeciam irruperit, cum naviculario Demosthenes, qui omnia providerit, quae navi saluti essent (*εἰ δ' ὁ συμβὰς σκηπτὸς ἢ χειμὼν μὴ μόνον ἡμῶν ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονεν, τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον, πάντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα καὶ κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον ἀφ' ὧν ὑπελάμβανεν σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν ἢ καὶ συντριβέντων ὅλως, τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο* § 194). Porro in § 198 narrat Aeschinem in rebus adversis se gerere aeque atque rupturas et convulsiones, quae, si corpori quid acciderit, moveantur (*ἀντέκρουσέ τι καὶ γέγονεν οἷον οὐκ ἔδει, πάρεστιν Αἰσχίνης ὥσπερ τὰ ῥήγματα καὶ τὰ σπάσματα, ὅταν τι κακὸν τὸ σῶμα λάβῃ, τότε κινεῖται.*) Simile huius exempli est illud, quod legimus in § 243. Immo in § 298 satis audacter comparat Aeschinem eiusque socios cum librae lance, quae ad eam partem vergat, ubi maius sit commodum (*οὐδ'* . . . *ὁμοίως ὑμῖν ὥσπερ ἂν τρυτάνη ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβούλευκα*). Denique in peroratione commemorat se nihil valuisse in aliis adulandis, Aeschinem et unumquemque eius sodalium tum fuisse *ἐν τάξει καὶ μέγαν καὶ λαμπρὸν ἱππότροφον* (§ 320).

Quamvis translationum numerus maior sit in Aristogitonia quam in oratione de corona tamen ratio adhibendi est eadem. Egregie

enim orator in § 25 depingit, quomodo malum, si forte bonum vicit, omnia deleat atque misceat, his translationibus atque dissolutionibus usus: *εἰ δὲ μή, λέλυται πάντα, ἀνέῳκται, συγκέχυται, τῶν πονηροτάτων καὶ ἀναιδεστάτων ἡ πόλις γίγνεται.* Nec minore arte atque lepore in § 42 explicat Aristogitonem, quotiens in publicum prodierit, quasi Athenas obsidere (*Ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖ τοὐναντίον, ὃν μὲν οὐ προσῄει χρόνον ὑμῖν, ἀναπαύσασθαι τῶν κακῶν ἡ πόλις ὧν ἅπασιν οὗτος παρεῖχεν, ἀφ' οὗ δὲ πάλιν δημηγορεῖ, πολιορκεῖσθαι*). Efficacissime etiam in Aristogitonis fratrem invehitur (§ 80). Eunomum enim, quamquam ipse vitio comitiali nequitiae oppressus sit, tamen se morbo comitiali affectis mederi simulare narrat orator (*καὶ τοὺς ἐπιλήπτους φησὶν ἰᾶσθαι, αὐτὸς ὢν ἐπίληπτος πάσῃ πονηρίᾳ*). Illa ipsa ars vim vocis *ἐπίληπτος* variandi efficit, ut hic locus sine dubio sit unus ex gravissimis totius orationis.

Eundem vigorem et splendidum colorem sermoni praebet translatio in § 52 prolata. Vix melius illius sycophantae vita tumultuosa atque turbida significari poterat, quam quod eum cum scorpione et serpente comparavit. Ut hae bestiae spiculum modo huc modo illuc movent, ita Aristogito per forum properat nihil spectans, nisi ut a plurimis, cum culpae cuiusdam eos insimulaverit, facile pecuniam postulet (*ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν ἢ κακόν τι προστριψάμενος καὶ καταστήσας εἰς φόβον, ἀργύριον πράξεται*).

Acriter Richardus Wagner (pg. 12—13) reprehendit comparationem iudicum Atheniensium cum *ἐράνου πληρωταῖς* (§§ 21/22)[1]. Stipem enim esse publicam et communem, quaecumque unusquisque ex legibus faciat, confirmat orationis auctor. Sed eum, qui hanc stipem recuset, Athenienses privare multis bonis. Itaque talem societatis sodalem esse puniendum. Mea quidem sententia hic totus locus nullam praebet difficultatem. Certe omnes Athenienses instituta talium societatum noverant. Id optime cognoscimus ex eo, quod saepissime de eis verba facit (cf. X § 40; XVIII § 312; XXI §§ 101, 184, 185). Deinde vituperat Reinholdus Braun in § 84 voces *μὴ δὴ πρὸς οὓς αὐτὸς ἔχωσας λιμένας καὶ προβόλων ἐνέπλησας, πρὸς τούτους προσορ-*

[1] Demosthenes solum iudices hortari in animo habet, ut eadem ratione in Aristogitonem animadvertant qua illi *ἐράνου πληρωταί* in sodalem quendam, qui stipem non tulit. Minime vero affirmat illos *ἐράνου πληρωτάς* collegium esse eodem modo creatum quo iudices Athenienses, id quod Richardus Wagner credit.

μίζου. Paulo ante enim Demosthenes oravit, ne iudices Aristogitonis misereret, cum ille numquam parentum vel eorum liberorum, qui ab eo in ius vocati erant, miseritus esset. Ut vim vocum augeret, illam translationem addidit. Neque quicquam stulti huic sententiae inesse mihi videtur, praesertim cum Graecis notissimae fuerint omnes res maritimae. Etiam ceterae translationes, quas Reinholdus Braun in pg. 11—13 improbat, quamvis saepe audaces sint, semper bene orationis contextui insertae vim vocum valde augent[1], id quod optime demonstratur § 76. Postquam enim explicavit Aristogitonem ad nulla maiorum facta confugere posse, ut iudicum misericordiam moveret, haec adiungit: *τούτῳ δ' οὐδέν' ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον, ἀλλὰ πάντ' ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα.* Non patent ei tales viae quales ceteris, sed undique sunt praerupta, scopuli, voragines. Quis melius sycophantae deperditi et desperati nequitiam depingere potest? Haec ars scribendi solum clarissimo oratore digna est.

Polysyndeti gravissima exempla invenimus in §§ 4, 9, 10, 16, 24, 35, 90. Neque vero in ceteris orationibus polysyndeta vitavit Demosthenes. Exstant polysyndetorum exempla in orationis de falsa legatione §§ 8, 20, 125/126, 204, 207, 219, 259. Fortasse his addas §§ 15, 53, 84, 261, 302/303, 306. In oratione duodevicesima haec figura vix est crebrior (cf. §§ 41, 83, 100, 149, 203, 208, 221, 234, 249, 259, 260, 298, 320). Quod mirum non est. Ut sermoni enim gravitatem et auctoritatem imponat, coniungit orator singula membra. At dissolutionibus vehementia et vis in dicendo efficitur. Qua de causa asyndeta saepissime in Aristogitonia proferuntur. Maioris momenti exempla invenimus in §§ 24, 25, 50, 52, 61, 90, 94, quibus adiungendae sunt §§ 9, 20, 26, 28, 36, 41, 49, 76, 78, 81, 95.

Non desunt asyndeta in oratione undevicesima[2] et duodevicesima[3]. Sed interest aliquid inter duas orationes. Nonnullis enim locis orationis duodevicesimae maior est numerus membrorum non coniunctorum quam in praecedenti opere. Velut in § 96 novem, in § 237 septem, in § 295[4] decem membra non coniunguntur. In oratione

[1] Omnes Aristogitoniae translationes collegit Richardus Schläfke, pg. 82—84.

[2] cf. §§ 23, 60, 62, 76, 92, 103, 109, 138, 141, 145, 156, 178, 180, 190, 201, 208, 215, 220, 228, 229, 237, 265, 299, 308, 311, 315, 338, 343.

[3] cf. §§ 43, 65, 67, 69, 80, 96, 124, 125, 159, 189, 195, 216, 234, 235, 237, 242, 246, 248, 249, 257, 295, 302, 309, 313, 318, 319, 322.

[4] Intra haec decem membra in septem membris iterum terna vocabula non coniunguntur, in duobus autem bina.

de falsa legatione in §§ 229, 265 quaterna, in §§ 215, 228 quina, in § 201 sex, in § 311 bis quattuor membra orator dissolute adhibet. Credo igitur me his exemplis ostendisse usum et asyndetorum et polysyndetorum in Aristogitonia non abhorrere a Demosthenis ratione scribendi, qua usus est in orationibus praecedentibus.

Eadem in Aristogitoniae paragrapho interdum et figuram asyndeti et figuram polysyndeti investigamus, id quod in ceteris orationibus raro invenimus (cf. XVIII §§ 234, 249, 257). Nihilosetius cognoscemus, quanta arte orator utramque figuram usurpaverit. Quod nonnullis exemplis exponere mihi liceat. Initio § 9 mores et facta talium sycophantarum, inter quos numerandus est Aristogito, polysyndetis usus orator ita depingit: *ἀλλ' εἰς τὰς ἐκκλησίας ἀναβαίνουσιν . . . τόλμαν καὶ κραυγὴν καὶ ψευδεῖς αἰτίας καὶ συκοφαντίαν καὶ ἀναισχυντίαν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα συνεσκευασμένοι.* Deinde quae illi his flagitiis efficiant, narrat asyndetis usus: *καὶ τούτοις τοῖς αἰσχροῖς ἁπάντων τῶν τῆς πόλεως καλῶν περίεισι, τῶν νόμων, τῶν προέδρων, τοῦ προγράμματος, τῆς εὐκοσμίας.* Non iungit in § 24 membra, cum demonstret, quantam vim praebeat modus atque rerum ordo (*ἡ εὐταξία τῇ τῶν νόμων προσθήκῃ τῶν αἰσχρῶν περίεστι, τῆς ἀναισχυντίας, τῆς θρασύτητος, τῆς ἀναιδείας*), iungit, cum exponat, quid sit nequitia et bonitas (*ἰταμὸν γὰρ ἡ πονηρία καὶ τολμηρὸν καὶ πλεονεκτικόν, καὶ τοὐναντίον ἡ καλοκαγαθία, ἡσύχιον καὶ ὀκνηρὸν καὶ βραδὺ καὶ δεινὸν ἐλαττωθῆναι*). Non aliter res se habet in § 52. Inter se coniunctae sunt voces, quibus declaratur Aristogitonem nihil facere, quod ceteri omnes agant (*οὐδὲ προσφοιτᾷ πρός τι τούτων τῶν ἐν τῇ πόλει κουρείων ἢ μυροπωλίων ἢ τῶν ἄλλων ἐργαστηρίων οὐδὲ πρὸς ἕν*), quomodo ille sycophanta seditiosus atque tumultuosus se gerere soleat, breviter enarratur (*ἀλλ' ἄσπειστος, ἀνίδρυτος, ἄμεικτος, οὐ χάριν, οὐ φιλίαν, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν ὧν ἄνθρωπος μέτριος γιγνώσκων*)[1]. Haec mihi sufficiant ad demonstrandum, qua arte et ratione Demosthenes has dicendi figuras adhibuerit. Nam mihi persuasi falsarium vix omnia tam bene composuisse.

Saepe etiam auctor obsecrationibus utitur, id quod minime probant Reinholdus Braun[2] et Richardus Wagner[3]. Hae, ni fallor, insunt in oratione:

[1] Similiter atque haec exempla tractanda sunt illa §§ 26, 90.
[2] cf. pg. 30.
[3] cf. pg. 46.

νὴ Δία §§ 40, 42, 67, 73, 77 bis, 78, 79, 81
μὰ τὸν Δία καὶ πάντας θεούς § 13
πρὸς Διός § 14
ὦ Ζεῦ καὶ θεοί § 31
οὐχὶ μὰ Δία § 41
μὰ τοὺς θεούς §§ 48, 85
νὴ τὸν Ἡρακλέα § 51
νὴ τὸν Δία καὶ θεούς § 65
ὦ γῆ καὶ θεοί § 56
φέρε δὴ πρὸς θεῶν §§ 25, 73.

Addenda sunt vocabula § 37 *Ἀδράστειαν μὲν ἄνθρωπος ὢν προσκυνῶ* et illa invocatio maiorum in § 97 *τοὺς προγόνους τοὺς ὑμετέρους καὶ τὰς ἀρετὰς τὰς ἐκείνων ἀνακαλῶ*[1]. Praeterea huc refero exsecrationem *ὁ τρισκατάρατος, ὅτῳ μήτε γῆ φέροι καρπόν, μήτ' ἀποθανόντα δέξαιτο* (§ 82).

In oratione de corona has inveni[2]:

ὦ γῆ καὶ θεοί §§ 139, 158, 294
νὴ Δία §§ 101, 117, 251
πρὸς θεῶν §§ 119, 120
νὴ τὸν Δία καὶ τοὺς θεούς § 129
ὦ Ζεῦ καὶ θεοί § 285
μὰ τοὺς θεούς §§ 13, 111
πρὸς Διὸς καὶ θεῶν § 199
πρὸς Διός §§ 201, 256
μὰ Δία § 262
νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας θεούς § 294
οὐ μὰ Δία § 307
ὦ πάντες θεοί § 324.

Neque omittam afferre voces *καλῶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας καὶ πάσας καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον . . . καὶ ἐπεύχομαι πᾶσι τούτοις* (§ 141) et orationis initium . . . *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις* (§ 1). Accedunt in § 8 *βούλομαι πάλιν τοὺς θεοὺς παρακαλέσαι*[3] *καὶ ἐναντίον*

[1] Omnes deorum invocationes enumerat Richardus Schläfke, pg. 85.
[2] cf. Richardum Wagner (pg. 46, adn. 29). Accuratissime de hac re disseruit Rudolfus Kühnlein: De vi et usu precandi et iurandi formularum apud decem oratores Atticos, Schulprogramm Neustadt a. d. H. 1881/1882, pg. 9—25 et pg. 68/69.
[3] Hae voces Rudolfum Kühnlein, quamquam eas in pg. 10 commemorat, in pg. 68/69 fugisse videntur. Sunt igitur viginti quinque, non viginti quattuor exempla.

ὑμῶν εὔχομαι . . ., in § 267 *καὶ κακὸν κακῶς σε μάλιστα μὲν οἱ θεοί, ἔπειθ' οὗτοι πάντες ἀπολέσειαν*, in § 290 *καὶ λέγεις ἃ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν.* Praecipue commemoranda est illa maiorum invocatio § 208: *μὰ τοὺς Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας καὶ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ καὶ πολλοὺς ἑτέρους τοὺς ἐν τοῖς δημοσίοις μνήμασι κειμένους ἀγαθοὺς ἄνδρας.*

Eaedem fere sunt obtestationes in Aristogitonia quae in oratione de corona prolatae. Ex numero invocationum usitatarum tantum illa *μὰ τὸν Δία καὶ πάντας θεούς* (cf. XXV § 13) non redit in oratione duodevicesima. At fortasse reprehendas Demosthenem, quod maiores eorumque virtutem in XXV § 97 obsecrat. Sed maiores iam invocat in XVIII § 208. Quod addidit voces *καὶ τὰς ἀρετὰς τὰς ἐκείνων*, nullius est momenti. Etiamsi orator Aeschinis exclamationem *ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετή* vituperat (XVIII § 127), quid obstat, ne postea quando similia pronuntiet? Praeterea autem Aeschinis voces non eaedem sunt quae Demosthenis. Ille enim obsecrat virtutem una cum terra et sole, hic cum maiores tum eorum virtutem obtestatur. Ergo facile intelleges, quantum sit discrimen inter utriusque oratoris voces; neque enim ullo modo cohaeret virtus cum terra aut sole, maiorum virtutem bene opponit Demosthenes Aristogitonis nequitiae.

Tantum restat, ut illum locum *Ἀδράστειαν μὲν ἄνθρωπος ὢν προσκυνῶ* (§ 37) tractem[1]. At bene accidit, quod paulo post apud Menandrum idem fere legimus (Periceiromene v. 114: *τὴν δ' Ἀδράστειαν μάλιστα νῦν ἄραρε προσκυνεῖν*[2]). Immo vero iam in Aeschyli Prometheo v. 936 legimus: *Οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί.* Itaque non video, cur Demosthenes his vocibus uti non potuerit.

Interdum obtestationes cumulari Hugo Stier (pg. 18) iure contendit (cf. §§ 73, 77, 78/79). Sed huiusmodi exemplum etiam exstat in orationis duodevicesimae § 294, ubi duae satis graves obtestationes leguntur *ὃς γὰρ ἐμοῦ φιλιππισμόν, ὦ γῆ καὶ θεοί, κατηγορεῖ, τί οὗτος οὐκ ἂν εἴποι; καίτοι νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας θεούς* . . ., deinde in XXI § 198: *ἐμοὶ μὲν νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Ἀθηνᾶν, ὅθ' οὗτος, ὡς ἀπήλλαγμαι, περιιὼν ἐλογοποίει, ἔνδηλοί τινες ἦσαν ἀχθόμενοι τῶν πάνυ τούτῳ λαλούντων ἡδέως. καὶ νὴ Δί' αὐτοῖς πολλὴ*

[1] cf. Hugonem Stier, pg. 18.

[2] Sic Udalricus de Wilamowitz hunc versum restituit, at Siegfriedus Sudhaus, qui in fine *ω* perspexit, scribere vult . . . *μάλιστα νῦν — ἀρ[έσκοι — προσκυν]ῶ.*

συγγνώμη[1]. Ex his exemplis mihi apparere videtur obsecrationes in Aristogitonia crebras esse, sed earum usum a Demosthene non abhorrere. Quamvis multae sint in Aristogitonia obsecrationes, nusquam stulte et supra modum adhibentur.

Iam pauca dicam de Aristogitoniae partibus ex aliis Demosthenis orationibus iteratis. Hac in re tractanda sequor Reinholdum Braun refutantem eos, qui magnam partem orationis vicesimae quintae compositam esse censent singulis locis, quos ex aliis Demosthenis orationibus falsarius deprompserit. At Richardus Wagner minime probare videtur, quae Reinholdus Braun (pg. 43—45) exposuerit. Nam in paginis 42—45 exempla affert, quibus demonstrari putat multa in oratione vicesima quinta sumpta esse ex aliis orationibus. Ex his exemplis accurate inter se congruunt solum XXV § 63 *εἶτ' οὐκ αἰσχύνεσθ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ* cum XX § 135. Simillimi inter se sunt loci § 52 (*πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς*) et XIX § 314 (*διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται*), § 83 (*τίνος δὲ συγγνώμης ἢ ποίων ἐλέων οἱ σεσυκοφαντημένοι τετυχήκασι παρὰ τούτου;*) et XXI § 105 (*τίνος συγγνώμης ἢ τίνος ἐλέου δικαίως τεύξεται παρ' ὑμῖν;*), § 84 (*παρῆν καὶ ἐξητάζετο*) et XVIII § 217 (*παρῆν καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἐξητάζετο*). Id unum hoc loco adiungam. Maximilianus Pohlenz (Göttinger Nachrichten 1924, pg. 25 et adn. 3) putat illud *κύων τοῦ δήμου* (§ 40) depromptum esse ex XXVI 22; nam in XXV 36—42 auctorem duas res diversas male coniunxisse (a. Aristogeiton hat mehrfach Klagen gegen Demosthenes angestrengt. b. Er nützt nicht etwa dem Staate dadurch, daß er die Politiker kontrolliert und vor Gericht zieht; denn er greift nur harmlose Privatleute an. Die zweite [Gedankenreihe] gipfelt nun offenbar in dem Nachweis, daß Aristogeiton nicht ein „guter Wachhund des Demos“ ist). At omnia mihi bene composita esse videntur. Confirmat enim auctor Aristogitonem se saepe prius in ius vocasse (§ 37 *τοῖς ὑπὲρ Φιλίππου τότε πράττουσιν σεαυτὸν μισθώσας*), sed postquam homo nequissimus rei publicae debeat, cavere, ne oratores insequatur. Immo potius homines privatos reos facit, qui nesciunt Aristogitoni rei publicae debenti non licere se accusare. Sedsi quis opinatur fieri non posse, quin civitati delatore opus sit, qui eam ab oratorum insolentia defendat, tamen hunc bonis moribus praeditum esse necesse est. Aristogito autem quasi omnibus vitiis

[1] cf. etiam XXI §§ 98/99, 198.

coopertus est. Quibus rebus explicatis orator facile aliorum falsas opiniones de Aristogitone exstantes translatione salis et facetiarum plena usus plane reicit. Oratori enim interroganti, quid sit Aristogito, delatoris amici eum esse plebis canem respondent. Statim verba egregie interpretatur: Illum canem Aristogitonem non tueri oves a lupis (i. e. plebem ab oratoribus), sed illas ipsas devorare. Denique in fine § 40 concludit tales canes esse necandos. Mea quidem sententia hoc loco multo melioribus coloribus multoque accuratius orator delatorem confert cum cane quam in XXVI § 22, ubi sine ullo colore et necessitate narrat neminem cani malo gregem custodiendum tradere. Potissimum autem auctor orationis XXVI minime confirmat tales nefarios plebis custodes exstinguendos esse, sed tantum dicit eos diligentissime in custodia tenendos esse. Ego quidem credo auctorem orationis XXVI orationem XXV excerpsisse. Alii loci a Maximiliano Pohlenz allati mihi nihil valere videntur ad eius sententiam probandam. At haec omnia tam parvi momenti sunt, ut minime falsarii alicuius industriam prodant. Quivis orator has phrases et invenire et iterare potuit. Quid loquor de *καὶ νῦν ἐπὶ ταῦτα πορεύσομαι* et *τί οὖν λοιπόν*, quae omnibus fere oratoribus communia esse crediderim.

Restat, ut pauca dicam de hiatu. Hiatuum crebritate iam Gustavus Eduardus Benseler[1] commotus est, ut hanc orationem Demostheni abiudicaret. Quia hoc argumentum satis grave nemo adhuc reiecit, denuo totam rem inquiram.

Hiatus in Aristogitonia inveni hos:

§ 2 *πάλαι ὑπό*
§ 20 *ἡ πολιτεία οἴχεται*
§ 24 *ἡ καλοκαγαθία ἡσύχιον*
§ 26 *χειροτονηθέντι‿ἐξ ἴσου ζητοίη‿εἶναι*
§ 34 *εἰσιόντι εἰς*
§ 35 *ἁγιώτατοι ἐν*
ψυχῇ ἑκάστου
(§ 49 *ὅτι αὐτῷ ἀργύριον αἰτοῦντι οὐκ ἔδοσαν*)[2]

[1] De hiatu pg. 128: „In oratione contra Aristogitonem prima invenies quidem hiatus plures quam in ceteris publicis Demosthenis orationibus, qua de causa iure ab eorum stabis parte qui contendant, hanc orationem, de cuius auctore iam veteres scriptores dubitaverint, non esse a Demosthene profectam."

[2] Hanc phrasin Henricus Weil iure mihi videtur delere.

§ 55 *ἐπ' ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο*
αὐτῷ ὁ
§ 56 *ὀκτὼ ἐφόδιον*
§ 58 *αὐτῷ οὑτοσί*
§ 65 *ἀποστασίου ἀπέδοσθε*
§ 69 *ὅροι ἑστηκότες*
§ 79 *τούτου ὁμομήτριος*
§ 91 *τούτου αἰτίαν.*

Hiatum § 34 *Ἀπόλλωνι ἐν Δελφοῖς* excuso, quia voces *ἐν Δελφοῖς* non separandae sunt a vocabulo *Ἀπόλλωνι*. Ergo non minus sedecim hiatus gravissimi sunt in Aristogitonia. Iterum eam comparabo cum orationibus de falsa legatione et de corona et cum laudatione funebri. De hac nuper Johannes Sykutris (Hermes LXIII (1928), pg. 254/55) egit, qui contendit oratorem in hoc opere omnino vitasse hiatum. Neque vero illi viro doctissimo plane assentior. Nam in § 6 demum Fridericus Blass pro *μῆκος λόγου ἄλυπον* coniecit *μῆκος λόγων ἄλυπον* codicem F secutus. At paulo ante legimus *μὴ μῆκος ἄκαιρον ἐγγένηται τῷ λόγῳ*. Itaque lectionem *λόγου* praeferendam esse lectioni *λόγων* mihi persuasi. In § 31 autem traditum est *Αἴας ἀβίωτον ἑαυτῷ ἡγήσατο τὸν βίον*. Ut hiatum vitaret, Fridericus Blass transposuit verbum *ἑαυτῷ* post *τὸν βίον*. At minime intellego, cur mutem, quae tradita sunt. Ergo duo hiatus sunt in laudatione funebri.

Ex oratione de corona hos affero:

§ 19 *πολέμου οἱ τότε*
§ 20 *ἄλλῳ οὐδενί*
ὀργιζόμενοι ἑτοίμως
§ 31 *ἀεὶ ὁμολογῶ πολεμεῖν*[1]
§ 34 *κεχρημένου ἀνάγκη*
§ 48 *τούτου Εὔδικος*
§ 49 *πάλαι ἄν*
§ 51 *οὔτε Φιλίππου ξένον οὔτ' Ἀλεξάνδρου [φίλον] εἴποιμ' ἂν ἐγώ σε*[2]
§ 107 *αὐτοῦ‿ἀπελείφθη‿οὐ δυναμένη‿ἀνάγεσθαι*
§ 120 *ὅπου ἄν*
§ 129 *πρὸς τῷ καλαμίτῃ ἥρῳ*
§ 138 *ἐγὼ ἔτι*

[1] Non intellego, cur transponat verba Henricus Weil (*πολεμεῖν ὁμολογῶ*).

[2] *φίλον* Dissen et Weil iure expunxisse mihi videntur.

§ 139 *δειξάτω ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι*
§ 143 *συγκαθήμενοι οὐκ*
§ 171 *οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι ἀναστάντες*
§ 172 *ἐκείνη οὐ μόνον*
§ 174 *ἐν Ἐλατείᾳ ὄντα*
§ 205 *Ἀθηναῖοι οὔτε*
§ 219 *ἑαυτῷ ἅμα μέν*
§ 255 *ἑκάστου ἐν*
§ 321 *λέγοντι ἀνεπιφθονώτατον.*

Non offendo in hiatu § 133 *ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου*, quia haec est phrasis usitata. In § 113 *δίκαιά ἐστιν*, in § 172 *ἡμέρα ἐκείνη*, in § 173 *ἡμέρᾳ ἐγώ* litteram *ε* in verbis *ἐστίν, ἐκείνη, ἐγώ* subtrahendo hiatus vitatur. Inveni igitur viginti quinque hiatus in oratione de corona. In oratione de falsa legatione legi duodetriginta hiatus.

In viginti septem paginis editionis Teubnerianae sunt in Aristogitonia sedecim hiatus (in una pagina 0,59), circiter in octoginta paginis[1] in oratione duodevicesima viginti quinque (0,32), in undecim paginis in laudatione funebri duo (0,18), in oratione undevicesima duodetriginta (0,29), quae est nonaginta sex paginarum[2].

Confer quaeso orationes corporis Demosthenici, quas non genuinas esse inter omnes constat. Harum ex numero maxime fugit hiatum oratio vicesima sexta (0,71), duodesexagesima (1,50), quadragesima secunda (1,67)[3]. Exempli gratia Hegesippi orationem de Halonneso afferam, in qua non minus sexaginta duos hiatus inveni (6,2). Luce clarius est numerum hiatuum, quamvis sit in Aristogitonia priore valde auctus, tamen minorem esse quam in omnibus ceteris orationibus Demostheni falso adscriptis. Certe hoc unum argumentum non valet ad totum opus a Demosthene abiudicandum, praesertim cum aliud summi esse momenti mihi videatur. Fridericus Blass enim primus observavit (Att. Bered. III 1^2, pg. 105) Demosthenem ternas vel plures syllabas breves cumulatas in plerisque orationibus vitavisse. Hanc legem inter omnes oratores Atticos unum Demosthenem sibi sanxisse Fridericus Vogel totam materiam accuratissime perscrutatus demonstravit (Hermes LVIII (1923), pg. 87 sqq.). Congruit autem Aristogitonia plane cum Demosthenis usu.

[1] Omisi senatus consulta atque testimonia non a Demosthene confecta.
[2] Non numeranda sunt illa poemata orationi inserta.
[3] cf. Fridericum Blass, Die attische Beredsamkeit III 1^2, pg. 498.

Friderici Vogel numeros (pg. 94) afferre mihi liceat: Peccata Demosthenis contra illam legem occurrunt in omnibus orationibus, si a iuvene scriptas (XXVII, XXVIII, XXX, XLI, LV) excludimus, in centenis versibus editionis Teubnerianae 4,57, in Aristogitonia 3,21. Contra Maximilianus Pohlenz sagaciter ostendere studuit paragraphos 15—35 et 85—91 magna ex parte a falsario ex Anonymi cuiusdam libello *Περὶ νόμων* satis neglegenter exscriptas esse. At in his quoque partibus cumulatio brevium syllabarum non minus anxie vitatur quam in reliquis orationis partibus (3,27). Hac re Pohlenzii opinio refutari mihi videtur. Confer quaeso numeros, quos Fridericus Vogel (pg. 94) in nonnullis aliis orationibus Demostheni falso ascriptis invenit (VII 20, 93; XI 22, 50; XVII 29, 36; XXVI 27, 27). Inter omnes orationes, quae Demostheni abiudicari solent, unus Epitaphius (LX) cum oratoris usu paene congruit (6,64). At hanc orationem genuinam esse Johannes Sykutris nuper certis argumentis evicit (Hermes LXIII (1928), pg. 241—258). Quis crediderit legem et Demosthenis aequalibus et posterioribus rhetoribus fere ignotam[1] a falsario quodam detectam et observatam esse?

4.

Reliquum est, ut inquiram, utrum nonnullae res orationi insint, quae a Demosthenis aetatis moribus vel institutis publicis alienae fuerint necne. Ac primum quidem Albrechtus Dieterich[2] contendit auctorem orationis vicesimae quintae secutum esse sectam Orphicorum. Id enim apparere ex § 11: *καὶ τὴν ἀπαραίτητον καὶ σεμνὴν Δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾶν.* Accedunt §§ 52, 53, de quibus egit Richardus Schläfke. Albrechtus Dieterich, cum has tres paragraphos examinaret, Aristogitoniae auctorem demum tertio a. Chr. n. saeculo vixisse putavit. At cum Otto Kern[3] tum Richardus Schläfke (pg. 93/94) Orphicorum praecepta Demosthenis

[1] Ne Dionysius quidem Halicarnassensis eam novit, unus Aristides eam perspexisse et in tredecim orationibus strictim observasse videtur (cf. Fridericum Vogel, pg. 105).
[2] Nekyia, pg. 139.
[3] Orpheus, pg. 14 sq., Orphic. frag., pg. 92 ad frg. 21, pg. 94 ad frg. 23.

aetate permultis Atheniensibus fuisse nota certis argumentis firmaverunt. Etiam Plato[1], Hyperides (Epitaph. 43), Demosthenes[2] ipse Orphicis legibus summam reverentiam praestant, quamquam vix eorum sectae attribui possunt[3].

Magnae inveniuntur difficultates in §§ 15, 16, 17, in quibus orator de legibus earumque vi agit. Etiam Henricus Weil complures versus expunxit[4], quos alienos a Demosthenis ratione scribendi putabat. Itaque nobis totus excursus de legibus orationi insertus iterum examinandus est. Cur orator rem tam copiose tractavit? Legum auctoritatem illa aetate valde debilitatam esse satis constat. Lycurgus ipse, strenuus ille legum propugnator, non veritus est iterum atque iterum *εἰσαγγελίας* contra legem instruere (cf. A. Körte, Hermes LVIII (1923), pg. 235 sqq.). Ob id ipsum igitur, quod iudices maiestatem legum non magni facere solere sciebat, orator earum sanctitatem gravissimis verbis praedicat.

In § 15 more sophistarum pronuntiat vitam humanam natura (*φύσει*) et lege (*νόμῳ*) administrari. In § 16 dicit leges velle iustum, honestum, utile (*Οἱ δὲ νόμοι τὸ δίκαιον καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον βούλονται καὶ τοῦτο ζητοῦσιν*). Quod postquam inventum est, statuitur lex, cui omnes obtemperare aequum est (*ᾧ* [sc. *τῷ νόμῳ*] *πάντας πείθεσθαι προσήκει*)[5].

---

[1] Ep. VII 335 A; Resp. II 366 B; Phaedo 62 B; Leg. 715 E sqq.

[2] XXIV § 104 *ὥστ' ἔμοιγε δοκεῖ κατὰ τοῦτ' αὔτ' ἄξιον αὐτὸν εἶναι θανάτῳ ζημιῶσαι, ἵν' ἐν Αἵδου τοῖς ἀσεβέσιν θῇ τοῦτον τὸν νόμον.*

[3] Maximilianus Pohlenz [Göttinger Nachrichten (1924), pg. 36] putat oratorem etiam nosse Pythagoreorum praecepta (An die Pythagoreer fühlt man sich aber gleich hier zu Anfang erinnert, wenn die Physis als das *ἄτακτον* bezeichnet wird, das durch den Nomos geregelt werden muß). At vox *ἄτακτον* mihi nihil valere videtur ad hanc sententiam firmandam, cum etiam in IV § 36 redeat, ubi res bellicae incompositae vocatae opponuntur omnibus rebus, quae legibus componuntur (*ὅτι ἐκεῖνα μὲν ἅπαντα νόμῳ τέτακται, καὶ πρόοιδεν ἕκαστος ὑμῶν ἐκ πολλοῦ τις χορηγός . . ., ἐν δὲ τοῖς περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῇ τούτου παρασκευῇ ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόρισθ' ἅπαντα*). Utroque igitur loco leges sunt contrariae illis rebus, quae *ἄτακται* vocantur. Qua de causa illud *ἄτακτον* Aristogitoniae prioris (§ 15) ad praecepta Pythagorica spectare minime est necesse.

[4] cf. etiam Hugonem Stier, pg. 23: „Permultis enim locis in universum dicitur de legibus . . .“

[5] Sequentes voces expungit Henricus Weil usque ad *προσήκει ζῆν*, quas ex philosophi cuiusdam libro manavisse in hanc orationem credit (cf. Revue de Philologie VI (1882), pg. 2/3; Plaid. pol. II, pg. 313). Porro putat eum, qui hos versus orationi inseruit, scripsisse *τοῖς ἐν τῇ πόλει*, id quod dant omnes codices pro *τοὺς ἐν τῇ πόλει*, quae verba *πάντας πείθεσθαι προσήκει* subsecuta essent; cf. etiam Richardum Wagner, pg. 30/31.

Cur ei parere necesse sit, in insequentibus versibus explicatur. Gravissimam causam affert orator primam. Omnis lex invenitur et datur a dis (*ὅτι πᾶς ἐστιν νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν*). Neque vero haec verba repugnant illis, quae antea legimus (*ἐπειδὰν εὑρεθῇ* [sc. *τὸ δίκαιον* etc.], *κοινὸν τοῦτο πρόσταγμ' ἀπεδείχθη* . . .), ex quibus elucere videtur homines illud honestum et iustum, cum investigaverint, legem statuere. Non possunt enim homines legem statuere nisi adiuti deorum sapientia. Itaque omnis lex cum divina origine sit et aeterna, omnibus hominibus valde observanda et verenda est.

Postquam igitur homines prudentes deorum auxilio iustum atque honestum cognoverunt, lex statuitur, quae omnibus est eadem atque par (*πρόσταγμα . . ., πᾶσι ἴσον καὶ ὅμοιον*). Quomodo orta sit, duobus membris (*πᾶς ἐστιν νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ' ἀνθρώπων φρονίμων*) explicatur. Quid leges efficiant, e sequenti membro comperimus. Corrigunt omnia peccata sive consulto sive non consulto commissa (*ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων*)[1]. Denique iterum premit orator legem communem totius civitatis pactionem et praeterea omnibus civibus ei parendum esse.

Haec oratoris argumenta Henricus Weil reicit, sed voces *ᾧ πάντας πείθεσθαι προσήκει* explicatione egent. Cur enim legibus parendum sit, ostendere oratoris plurimum intererat. Eas autem esse divinum donum inter omnia argumenta sine dubio erat gravissimum. Ea ipsa re firmavit Aristogitonem non modo hominum edicta contemnere, sed etiam res a dis statutas perturbare conari.

Ceterum leges hominibus a dis esse datas cum apud Heraclitum (Hermannus Diels, Die Fragmente der Vorsokratiker I[3], frg. 114) et

---

[1] Non habeo, cur mutem, quae in Demosthenis codicibus tradita sint. Lectionem Aphthonii *ἐπανόρθωσις δὲ πλημμελημάτων τῶν εἰς ἀμφότερα*, quam Fridericus Blass in textum recepit, probat etiam Maximilianus Pohlenz (Göttinger Nachrichten, pg. 29/30). Cum vero hic vir doctissimus voces *τῶν εἰς ἀμφότερα* non satis explicare possit, lectionem codicum intellegi posse puto. Exponit enim orator primum, quomodo leges ortae sint, tum commemorat, quid leges efficiant, denique narrat, quos ad homines legum auctoritas pertineat. Itaque Maximiliano Pohlenz non assentior, qui haec scribit: „Wir lesen nämlich hier die drei sich ausschließenden Anschauungen von der Entstehung der Gesetze, die uralte vom göttlichen Ursprung der Nomoi, die modernere, wonach einzelne Gesetzgeber dank ihrer praktischen Einsicht diese einführen, endlich die neueste und verbreiteste, wonach alle Nomoi durch eine Übereinkunft der Gesamtheit zustande kommen“ (pg. 28).

Isocratem (XII, 169: ... *πάτριον νόμον καταλυόμενον, ᾧ πάντες ἄνθρωποι χρώμενοι διατελοῦσιν, οὐχ ὡς ὑπ' ἀνθρωπίνης κειμένῳ φύσεως, ἀλλ' ὑπὸ δαιμονίας προστεταγμένῳ δυνάμεως*) tum apud Demosthenem scriptum invenimus (XXIII, 70: *ὅτι οἱ πάντ' ἐξ ἀρχῆς τὰ νόμιμα διαθέντες, οἵτινές ποτ' ἦσαν, εἴθ' ἥρωες εἴτε θεοὶ οὐκ ἐπέθεντο τοῖς ἀτυχήσασιν, ἀλλ' ἀνθρωπίνως ἐπεκούφισαν, εἰς ὅσον εἶχε καλῶς, τὰς συμφοράς*).

In sequenti paragrapho confirmat omnes leges dari, ne homines hominibus iniuriam inferant. Si vero quis peccaverit, punitus ceterorum mores corrigat. Denique a § 20 usque ad § 30 orator exponit, quid Athenis valeant leges. Singula exempla proferuntur, ut iudices cognoscant Aristogitonem, cum semel impune instituta publica turbaverit, mox totam rem publicam evertere ausurum esse (cf. §§ 19, 24, 25, 28). Id elucet potissimum ex § 28. Itaque a natura legum petit argumenta, quorum in numero divina legum origo erat gravissimum. Propterea Henrici Weil sententiam non probo, qui magnam partem § 16 interpolatam esse existimat.

Non minus copiose quam de legibus verba facit Demosthenes de aerarii debitoribus. Neque enim solum inter cives Athenienses erant rei publicae debitores (haec res Demosthenis aetate omnibus Atheniensibus erat satis nota, id quod elucet ex tabulis curatorum navalium J. G. II 2^2 1604—1632)[1], sed etiam inter iudices ipsos. Horum in numero esse, qui eadem condicione uterentur qua ipse, Aristogito in foro contenderat (cf. § 85 *Εἰ τοίνυν ἀκούσαιτε καὶ τὰς βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν ἀγορὰν περιιὼν καθ' ὑμῶν ἔλεγεν ... Φησὶ γὰρ πολλοὺς ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ*). Ea ipsa res, cum negari non posset, obstitit Demostheni. Itaque non plane audet hoc opprobrium reicere orator (*παντὶ γὰρ πλείους εἰσὶ τοῦ δέοντος καὶ οὐδένα τῶν ἄλλων ὀφείλειν ἔδει* [cf. paulo ante *εἰ καὶ δύ' εἰσὶ μόνοι*]), sed simulat se non credere etiam inter iudices esse debitores publicos. Vide quaeso, quomodo idem iterum atque iterum confirmet et testetur (§ 86 *καὶ μή μ' ὑπολάβητ' ὡς πρὸς ὀφείλοντας ὑμᾶς τῷ δημοσίῳ διαλέγεσθαι. — οὔτε γὰρ ἔστιν μήτε γένοιτο τοῦτο, οὔτ' ἐγὼ νομίζω*; cf. § 85 *οὐ μέντοι μὰ τοὺς θεούς*). Accedit, quod iam in § 85 aperte concedit inter iudices fuisse fisci debitores, at explicat magna

[1] cf. quae Henricus Weil exposuit in Plaid. pol. II, pg. 344, in Revue de Philologie VI, pg. 7; cf. etiam Hugonem Stier, pg. 31/32.

cum sollertia horum tam infelicium civium condicionem longe aliam esse atque Aristogitonis (*οὐ μέντοι μὰ τοὺς θεοὺς τούτῳ γ' ὑπάρχειν ὁμοίους οἴομαι τούτους οὐδὲ πολλοῦ δεῖ, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον ...*).

At hic dicat quispiam fisci debitores iudicum munere functos esse nos apud nullum alium scriptorem legere. Sed si fieri poterat, ut Aristogito, quamquam erat infamis, in publicum prodiret, fieri potuit, ut aerarii debitores, qui sine tumultu vitam agebant, in iudicum numero essent.

Postquam autem vocibus *οὔτε γὰρ ἔστιν μήτε γένοιτο τοῦτο, οὔτ' ἐγὼ νομίζω* (§ 86) iterum firmavit se nullum iudicem putare aerarii debitorem, fingit fortasse esse debitores publicos inter iudicum amicos et propter hos ipsos Aristogitonem damnandum esse censet. Nam qui immerito fisci debitores facti sunt, cum alios iuvarent, hi minime conferendi sunt cum illo scelestissimo sycophanta (*εἰς τὴν ὁμοίαν τάξιν ἑαυτῷ καὶ βλασφημίαν ἄγει* [sc. *Ἀριστογείτων*], *οὐκ ὀρθῶς οὐδὲ προσηκόντως*). Id non modo in § 87 diligentius explicat[1] (*οὐ γὰρ ὅμοιόν ἐστι Ἀριστογεῖτον ...*), sed etiam aliter vertit. Antea postulaverat, ut iudices eorum, qui immerito rei publicae deberent, misererentur. Neque iam id ei in § 87 sufficit, sed iudicibus persuadere vult, ut eorum sit ne punire quidem tales homines miserrimos. Hortatur igitur iudices, ut iniuste et contra leges agant. Sane ut hoc perficiat, sollerter comparat civitatem cum minima civitatis parte, cum familia. Ut in civitate dissensiones oriuntur, ita etiam domi dissentiunt a maioribus natu minores. Hi enim cum mala facta commiserint, ea illos celabunt. Illi se nihil vidisse simulant, si forte eorum luxuriam animadvertunt. Neque vero quicquam bene cedit, nisi iurgium domesticum vitatur. Simili ratione domus

[1] In § 87 Hermannus Lipsius [Leipziger Studien VI (1883), pg. 323] offendit in vocibus *τιμήματος τυχεῖν* (cf. Henricum Weil: Plaid. pol. II, pg. 345). Non necesse esse addi *χρημάτων* ad vocem *τιμήματος* puto; antecedentibus enim vocibus *δέον τεθνάναι* sole clarius est *τίμημα* esse multam. Hic orator paucis verbis opponit poenam, quam Aristogito meritus sit (*δέον τεθνάναι*), poenae, quae re vera ei attributa est (*τιμήματος τυχεῖν*). Aliud habet in animo orator in § 92, ubi contendit Aristogitonem dignum esse, qui morte multetur. Neque ipse ignorat se id perpetraturum non esse. Itaque iudices orat et obsecrat, ut Aristogitoni tantam multam imponant, quantam ferre non possit. Cum addat *χρημάτων*, vim vocum auget orator in § 92 *λοιπὸν τοίνυν ἐστὶν ... τοῖς ἀπαλλαγῆναι βουλομένοις τούτου ... μάλιστα μὲν αὐτῷ θανάτου τιμῆσαι, εἰ δὲ μὴ τοσοῦτ' ἀναθεῖναι τίμημα χρημάτων, ὅσον μὴ δυνήσεται φέρειν.*

omnium civium, civitas, est administranda. Ergo iubet iudices peccata eis, qui ea celare student, ignoscere. Tum omnia bona in civitate augentur atque concordia servatur (*ἐκ δὲ τούτων ἡ κοινὴ καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν αἰτία τῇ πόλει μένει καὶ συνέστηκεν ὁμόνοια*). Noli autem putare has argutias a Demosthenis ingenio plane abhorrere. Haud aliter enim abusus publicos excusare studet in X §§ 36—42. Ibi enim cum verba faciat de *θεωρικοῖς*, orator non solum similiter atque in Aristogitonia comparat civitatem Atheniensium cum familia (cf. potissimum § 41 *ὥσπερ τοίνυν ἑνὸς ἡμῶν ἑκάστου τίς ἐστι γονεύς, οὕτω συμπάσης τῆς πόλεως κοινοὺς δεῖ γονέας τοὺς σύμπαντας ἡγεῖσθαι, καὶ προσήκει τούτους οὐχ' ὅπως ὧν ἡ πόλις δίδωσιν ἀφελέσθαι τι, ἀλλ' εἰ καὶ μηδὲν ἦν τούτων, ἄλλοθεν σκοπεῖν ὅπως μηδενὸς ὄντες ἐνδεεῖς περιοφθήσονται*), sed etiam abusum theoricium totiens a se castigatum strenue defendit, quia pecunias a Persarum rege affluxuras esse sperat (cf. A. Körte, Rheinisches Museum LX 404 sqq.). Utrum orator quae hoc loco iudicibus suadet, re vera probaverit necne, nullius est momenti. Nihil agit, nisi ut iudices a sua parte stent. Id certo Demosthenes hac eximia sagacitate et sollertia assecutus est. Tum vero reliquum erat, ut ostenderet, quomodo Aristogito solus omnium debitorum perturbaret et misceret Atheniensium concordiam (§ 90). Quamvis illius sycophantae facinora sint magna, tamen cum tumultu omnia evertere conatur omniumque oculos in se vertit. Nullus magistratus eius nequitiam cohibere potest. Summa cum arte in fine § 91 orator tamquam redit ad Aristogitonis maledicta, quibus in § 85 adducebatur, ut hunc excursum intexeret orationi. Iniquum esse dicit alios debitores cum illo homine nequissimo conferri, cum eorum condicio sit alia. Quis maiore cum arte iudicum animos a reo abalienare potuit? Quis rem per se odiosam tam bene solvere potuit? Dubium non est, quin qui hunc locum composuit orator fuerit omnium dicendi ornamentorum peritissimus, non rhetor quidam obscurus.

Etiam ea, quae orator in § 23 de senatu Areopagitarum tradit, in dubium vocata sunt (*τὸ τὴν ἐξ' Ἀρείου πάγου βουλὴν ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι καὶ ἅπαντας ἐκποδὼν ἀποχωρεῖν*)[1], quia nusquam alibi

[1] Hermannus Lipsius, Leipziger Studien VI, pg. 329; Hugo Stier, pg. 25/26; Richardus Wagner, pg. 13/14. Defendunt hunc locum Henricus Weil (Mélanges Renier, pg. 24/25) et Richardus Schläfke, pg. 27/28.

comperimus Areopagitas consedisse in porticu regia. Itaque tota res diligenter est examinanda. Tribus exemplis Demosthenes docet eum, qui leges violet, multis bonis et honestis rebus Athenienses privare. Ac primum quidem demonstrat lege sanctum esse, ne ad quingentorum senatum, cum cancellis saeptus esset, cuiquam introire liceret. Tertium exemplum agit de potestate magistratuum sorte electorum. Inter haec duo exempla interiectum est illud de senatu Areopagitarum prolatum. Ut infirmi cancelli, cum senatus quingentorum consederit, ita funis, quo Areopagus circumdatur, impedit, ne quilibet in concilium introeat, quia leges ipsae valent. Neque mirum est Areopagum in regiam porticum convenisse, quoniam rex ipse Areopagitis praefuit, cum de rebus capitalibus ageretur. Cur Areopagitarum concilium non iam in Martis colle habitum sit, nos nescimus. Quod quin omnes iudices Athenienses sciverint, quis est qui dubitet? (cf. § 23 *ὧν ἓν ἢ δύ' ἐρῶ παραδείγματος ἕνεκα τὰ γνωριμώτατα*). Praeterea illa quaestio de pecuniis ab Harpalo datis instituta optime testatur tum Areopagitarum auctoritatem denuo auctam esse. Quid igitur obstat, ne illis temporibus in porticu regia consederint Areopagitae[1]?

Quae orationis auctor in § 27 de sortitione iudicum tradat (*ἀλλ' ὑμεῖς αὐτοὶ πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι βουλομένων εἰς τουτὶ λαχεῖν τὸ δικαστήριον, μόνοι δικάζεθ' ἡμῖν. Διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτ' ἀπεκληρώθητε· ταῦτα δ' οἱ νόμοι λέγουσιν*), rursus viri docti non probant. Praeter ceteros nuper Hildebrechtus Hommel (Philologus Suppl. XIX 1927 fasc. II, pg. 117 adn. 299) huius loci mentionem fecit. Antea de hac re Richardus Schläfke (pg. 26/27) et Theodorus Teusch (De sortitione iudicum apud Athenienses, Göttingae 1894, pg. 13—16, 35/36) diligenter egerunt, quorum ille iudices eligendi rationem in Aristogitonia descriptam accipit, hic reicit. Neque vero haec res mihi ullas difficultates videtur praebere. Nam Demosthenes in Aristogitonia dicit haec: Sortitione omnium Atheniensium facta omnibusque de Aristogitone iudicare cupientibus hi iudices soli adepti sunt potestatem de sycophanta nequissimo iudicandi. Quomodo id factum est? Id causae Aristogitoniae iudicibus contigit, quia bis prospera fruebantur fortuna (*ὅτι ἐλάχετε, εἶτ' ἀπεκληρώθητε*). Primum enim hi in diem litis

[1] cf. Henricum Weil (Mélanges Renier, pg. 24/25) et Richardum Schläfke, pg. 28.

Aristogitoniae omnino iudices creati sunt, deinde autem eis sorte obvenit illud iudicium, in quo causa Aristogitonia agebatur. Neque vero ullo modo hae duae res repugnant eis, quae cum aliis locis tum apud Aristotelem de sortitione iudicum legimus.

Itaque non diutius hac in re tractanda morabor, sed pauca dicam de § 28 vocibus *γνώσει δικαστηρίων τριῶν*, quas Henricus Weil bene explicasse mihi videtur[1]. Iure ille vir doctissimus comparat hunc locum cum orationis vicesimae quartae § 9 *δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων*. Neque quicquam obstat, ne his locis *δικαστήριον* significet, id quod Germanice vocamus „Sektion".

Non minus offenderunt cum alii tum Hermannus Lipsius in sequentibus vocabulis *ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων*[2]. Hermannus Lipsius de hoc loco haec scribit[3]: „Es war Sache der Behörde, die Geldbußen, auf welche ein Gerichtshof unter ihrem Vorsitz erkannte oder welche sie selbst auszusprechen gehabt hatte, den Praktores zur Eintreibung anzuzeigen (*ἐγγράφειν τοῖς πράκτορσι*); darum ist nicht verständlich, wie der Eintragung der Gerichtsbehörde eine andre der Praktores gegenübergestellt werden kann." In oratione duodesexagesima falso Demostheni adscripta de exactoribus legimus haec: *οὐδ' ἐστὶ δίκαιον τούτους ὑπολαμβάνειν ὀφείλειν, ὧν οὐδεὶς παρέδωκε τοῖς πράκτορσι τὰ ὀνόματα* (§ 48)[4]. De exactorum inscriptione (*ἐγγραφὴ πρακτόρων*) nihil comperimus. Sed sine dubio primum thesmothetae nomen eius, qui aerarii debitor factus erat, postquam ipsi litteris mandaverunt, cum exactoribus communicaverunt, quos debitoris nomen in tabulas publicas rettulisse verisimile esse mihi videtur[5]. Nam certo de pecuniis, quas exigunt, etiam exactoribus erat ratio reddenda. Quod solum fieri poterat, si et thesmothetae et exactores debitorum nomina, quaeque debuit quisque eorum, inscripserant.

[1] Plaid. pol. II, pg. 319; cf. etiam Hermannum Lipsius, Leipziger Studien VI, pg. 322, et Richardum Schläfke, pg. 16.

[2] Reinholdus Braun, pg. 37. Dissentiunt Henricus Weil, Plaid. pol. II, pg. 319 et Mélanges Renier, pg. 20/21, atque Richardus Schläfke, pg. 17/18.

[3] Leipziger Studien VI, pg. 322.

[4] cf. Aesch. I § 35; [Dem.] XLIII § 71.

[5] Assentior Henrico Weil, qui scribit in Mélanges Renier, pg. 20: „Les amendes étaient d'abord enregistrées par les thesmothètes en leur qualité de présidents du tribunal, ensuite inscrites par les *πράκτορες* chargés du recouvrement de l'argent"; cf. Augustum Boeckh, Der Staatshaushalt der Athener I^{3}, pg. 189 et 459.

Sequitur, ut quaeramus, quomodo sit solvenda illa quaestio difficillima de actione *βουλεύσεως* instituta. In § 28 *βουλεύσεως* tantum mentionem facit. Sed in §§ 71—73 nonnulla addit, ex quibus viri docti[1] concluserunt oratorem confundere *βουλεύσεως* actionem cum *ψευδεγγραφῆς* actione. De lite *ψευδεγγραφῆς* nemo nisi grammatici copiose egerunt[2]. Sane quae hi nobis tradunt, ex oratorum scriptis se hausisse profitentur. Actionem *βουλεύσεως* cum Aristogitonia tum titulus anni 323/322 commemorat (I. G. II 2^{3}, 1631).

Grammaticorum testimonia quoniam et Augustus Boeckh (pg. 537 sqq.) et Hermannus Lipsius (pg. 321) adhibuerunt ad totam quaestionem solvendam, primum perlustrabo. Cum omnia idem fere velint, solum locum ex Suidae lexico afferam, ubi, ut exponatur, quid intersit inter *βούλευσιν* et *ψευδεγγραφήν*, sub voce *ψευδὴς ἐγγραφή* hoc scriptum invenimus: *τοῦτο μὲν ὄνομα δίκης. ζητήσειε δ' ἄν τις τίνι διαφέρει ψευδεγγραφὴ βουλεύσεως· καὶ γὰρ διαφέροντα τίθησιν ὁ Λυκοῦργος. τάχα οὖν ψευδεγγραφῆς μὲν ἐλάγχανον οἱ μὴ ὀφείλοντες μέν, ἐγγραφέντες δὲ ψευδῶς, βουλεύσεως δὲ οἱ πάλαι μὲν ὠφληκότες, ἀποδόντες δὲ καὶ αὖθις κατ' ἐπιβουλὴν ψευδῶς ἐγγραφέντες. Βουλεύσεως* igitur magistratum quendam in ius vocabant ii, qui post solutas pecunias iniuria iterum debitores inscripti erant. Iure ac merito Augustus Boeckh (pg. 538 sqq.) discrimen a Suida factum in dubium vocavit, cum examinaret, quae titulus anni 323/322 memoriae proderet de *βουλεύσεως* actione. Si enim debitor debita rei publicae pecunia liberatus iterum falso in aerarii tabulis inscriptus erat, quid obstabat, ne magistratum de falsa inscriptione accusaret? Tradit autem titulus anni 323/322 haec, pg. 536 sqq. = I. G. II 2^{3} 1631, pg. 263 v. 385 sqq.: *ἐὰν δὲ οἱ τῶν νεωρίων ἄρχοντες οἱ ἐφ' Ἡγησίου ἄρχοντος* (324/323) *παραλαβούσης τῆς πόλεως τοὺς κωπέας μὴ ἀναγράψωσιν εἰς τὴν στήλην ἢ ὁ γραμματεὺς τῶν ἕνδεκα μὴ ἀπαλείψει ἀπὸ τοῦ ὀφλήματος τοῦ Σωπόλιδος τὸ γιγνόμενον τῶν κωπέων κατὰ τὰ ἐψηφισμένα τῆι βουλῆι, ὀφειλέτω ἕκαστος αὐτῶν XXX δραχμὰς τῶι δημοσίωι καὶ <ὑπόδικος>*[3]

[1] Augustus Boeckh, Urkunden über das Seewesen des attischen Staates, pg. 536—540; Reinholdus Braun, pg. 34/37; Hugo Stier, pg. 26—28; Richardus Wagner, pg. 6/7; Hermannus Lipsius, Leipziger Studien VI, pg. 321. Dissentit Richardus Schläfke, pg. 12—15.

[2] Harpocratio: s. v. *ψευδεγγραφή*. Anecdota Graeca (ed. Bekker): Lex. Seg. s. v. *ψευδεγγραφή* (I pg. 317). Suidae lexicon: s. v. *ψευδεγγραφή* et s. v. *ψευδὴς ἐγγραφή*.

[3] *ὑπόδικος* recte inseruit Boeckh.

ἔστω Σωπόλιδι καὶ τοῖς Σωπόλιδος οἰκείοις τῆς βουλεύσεως τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς τῶν κωπέων <*ὧν*>[1] *ἂν ἡ πόλις παρειληφυῖα εἶ παρὰ Σωπόλιδος καὶ τῶν οἰκείων τοῦ Σωπόλιδος.* Ex verbis *μὴ ἀπαλείψει* elucet actionem *βουλεύσεως* adhibendam esse, si debitoris nomen, postquam pecuniam fisco debitam solvit, e tabulis publicis exstinctum non erat. Ergo nomen aerario debentis neque in tabulis exstinctum neque denuo in eas relatum erat, id quod Suidas statuit. Itaque Augusti Boeckh interpretationem probo. Quae cum ita sint, hoc inter duas actiones interest: *Ψευδεγγραφῆς* actionem intendunt, qui, quamquam fisco non debent neque debebant, in debitorum numero erant inscripti, *βουλεύσεως* actionem, quorum nomen, cum fuissent aerarii debitores, debita aerario pecunia soluta in arce nondum erat exstinctum.

At quomodo res se habet in Aristogitonia? Ibine confundit orator actionem *βουλεύσεως* cum actione *ψευδεγγραφῆς*? Nemo dubitare potest, quin omnia de pecunia rei publicae debita in oratione vicesima quinta prolata pertineant ad *βουλεύσεως*, non *ψευδεγγραφῆς* actionem, dummodo ne in verbo *ἐγγράφειν* offendamus, de quo infra agam. Aristogito ipse fuerat debitor aerarii publici. Id inde apparet, quod per quinque annos non in publicum prodiit (§ 42 *οὗτος ὑμῖν οὐχὶ προσῆλθε πέντ' ἐτῶν, ὧν ἐτιμήθη μὴ λέγειν αὐτῷ*). At aerario publico debiti loco assignaverat fundum[2]. Hunc Eunomus frater emit, ita tamen ut non statim totam summam solveret, sed decem pensiones annuas stipularetur, quarum duas solvit, sequentes non. At Aristogito post fundum venditum rursus contiones adiit, cum se non iam fisci esse debitorem confirmaret. Aristoni vero, quia nomen in tabulis non deleverat, *βουλεύσεως* actionem intendit. Quae cum ita essent, fieri non poterat, ut *ψευδεγγραφῆς* actionem Aristoni institueret; neque enim Aristogito negat se aerario publico debuisse, sed abnuit se usque ad causae tempus fisci debitorem esse. Ergo iure ac merito Aristogito Aristoni *βουλεύσεως* actionem intendit, id quod legimus in §§ 28, 71, 73.

In §§ 70, 71, 72 73 orator uberrime de hac re agit. Confirmat sycophantam non debitorem esse, si eius nomen in tabulis in arce servatis exstinctum sit (*Εἶ μὲν οὖν ἀνῄρηται ταῦτα καὶ ἐξαλήλιπται τὸ ὄφλημα, ἡμεῖς ληροῦμεν, μᾶλλον δὲ ψευδόμεθα· εἰ δ' ἔτ' ἔστι καὶ ἔσται*

---

[1] *ὧν* inseruit Boeckh.

[2] Has res Libanius in argumento accurate exponit sine dubio Lycurgi oratione usus.

τέωσπερ ἂν ἐκτείσῃ καὶ μενεῖ, οὗτος οὐδὲν ἀληθὲς λέγει). Invenimus igitur et hoc loco et in titulo verbum *ἐξαλείφειν*. Etiam vocibus *εἰ δ' ἔτ' ἔστι καὶ ἔσται τέωσπερ ἂν ἐκτείσῃ καὶ μενεῖ* demonstrat orator se nullo modo dubitare, quin Aristogito antea aerario publico debuerit. Si vero actio esset *ψευδεγγραφῆς*, Aristogitonem argumentis firmare aequum erat se numquam quicquam fisco debuisse. Quae cum ita essent, illud *ἐξαλείφειν* commemorare non modo supervacaneum, sed etiam erat stultum.

Praeterea autem in sequenti paragrapho (§ 71) docet orator tangens duas pensiones ab Eunomo solutas (*δύο καταβολαί*), ei, qui partem debitae pecuniae reddiderit, minime licere in publicum prodire. Ea ipsa vocabula *εἰ μὴ πᾶν ὅσον ὦφλεν ὀφείλει* rursus ostendunt Aristogitonem antea debitorem fuisse.

Quare Aristogito Aristoni litem intenderit, apparet ex § 72 vocibus *Ναί, φησίν· ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν.* Hic locus ni fallor plurimum valuit ad omnia reicienda, quae in oratione vicesima quinta tradita sunt de *βουλεύσεως* actione[1]; Aristogitonem enim contendisse se iniuria ab Aristone esse inscriptum. Ac primum quidem adverbium *ἀδίκως* idem quod *ψευδῶς* significare viri docti putasse videntur. Neque vero ullo loco Aristogitoniae voces *ψευδεγγραφή* vel *ψευδῶς ἐγγράφειν* investigare poteram. Sine dubio autem adhuc forma temporis perfecti (*ἐγγέγραφεν*) supra modum neglecta est[2]. Ea enim usurpatur, ut ostendat Aristonem Aristogitonis nomen non modo aliquando inscripsisse, sed etiam tempore, quo lis agitur, inscriptum habere. Omnino saepissime in §§ 69, 70, 71 forma temporis perfecti est usurpata (cf. § 69 *ἀνῃρημένα ταῦτα* . . . § 70 *ἀνῄρηται καὶ ἐξαλήλιπται τὸ ὄφλημα.* § 71 *ἃ ἐγγέγραπται καὶ ἐφ' οἷς ἐνδέδεικται* . . . *ἐν ἀπογραφῇ πεποίηται* . . . *ἀπογέγραπται*). In § 73 iterum legimus *ὅτ' ἐγγέγραπται.* At quaerat quispiam, cur orator scripserit in § 73: *Πότερον . . . ὁδὶ μὲν ὀφειλήσει τῷ δημοσίῳ, ὁ ἐξαλειφθείς, ἐκεῖνος δ' ἐπίτιμος ἔσται, ὁ ἐγγραφείς;* At hoc loco orator summa cum arte

---

[1] Scribit Hermannus Lipsius Augustum Boeckh secutus (Attischer Prozeß I^2, pg. 418): „Hierauf die Zuständigkeit der Klage (*βουλεύσεως*) zu beschränken, erscheint um so weniger bedenklich als der Rede gegen Aristogeiton, auf welcher ihre Kompetenz auch für falsche Eintragung ausschließlich beruht, auf volle Glaubwürdigkeit keinerlei Anspruch zusteht."

[2] cf. Carolum Brugmann, Griechische Grammatik (J. Müller, Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft VI, pg. 551).

iudicibus depingere vult, quid accidat, si Aristogito *βουλεύσεως* coarguat Aristonem. Deinde enim eum, cuius nomen in tabulis expunctum sit, aerarii debitorem futurum esse confirmat, pecuniam debiturum non esse fisco eum, qui modo fisci debitor inscriptus sit.

Elucet mea quidem sententia ex omnibus locis modo allatis illud *ἐγγεγραφέναι* vel *ἐγγεγράφθαι* idem fere velle quod *οὐκ ἐξαλείφειν* vel *οὐκ ἐξαλείφεσθαι.* Verba *ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν* docere mihi videntur Aristonem Aristogitonis nomen in tabulis publicis inscripsisse atque iniuria inscriptum tenere. Ergo nullo loco Aristogitoniae auctor confundit actionem *βουλεύσεως* cum *ψευδεγγραφῆς* actione. Immo potius testatur eos actione *βουλεύσεως* usos esse, quorum nomina debito publico soluto nondum in tabulis erant deleta.

Sane restat, ut conferamus, quae nobis de *βουλεύσεως* genere tradat et Aristogitonia et tituli locus. In Aristogitoniae § 73 legimus Aristonem, si convincitur se iniuria sycophantae nomen in tabulis inscriptum tenere, pro Aristogitone inscribi in arce (*Ἂν ἕλῃ τὸν Ἀρίστωνα τῆς βουλεύσεως, τί ἔσται; ἐξαλειφθήσεται νὴ Δία, ὃ δ' ἀντεγγραφήσεται· ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι λέγουσιν*). Titulus autem Cephisodoro archonte (323/322) compositus haec nobis tradit: Sopolis quidam debuerat rei publicae armamenta lignea decem navium. Cum autem ille remos reddidisset, senatus decrevit, ut navalium curatores scribaque undecim virorum de pecunia solvenda detraherent remorum pretium. Quod si praetermitterent, unusquisque eorum deberet tria milia drachmarum fisco. Praeterea autem Sopolidi eiusque propinquis liceret illos magistratus crimine *βουλεύσεως* arcessere (*<ὑπόδικος> ἔστω Σωπόλιδι καὶ τοῖς Σωπόλιδος οἰκείοις τῆς βουλεύσεως τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς τῶν κωπέων*)[1]. Augustus Boeckh igitur recte docuit singulis magistratibus si damnantur multam esse pendendam et aerario publico et ei, qui eos accusaverat.

In titulo duae multae commemorantur, in Aristogitonia una. Probo Augusti Boeckh sententiam, qui de illa singulari poena trium milium drachmarum dicit haec (Urkunden über das Seewesen des

[1] Rectissime dicit Boeckh l. a. 537: „Der weitere Zusatz *καὶ ὑπόδικος ἔστω κτλ.* betrifft dagegen nicht etwas vom Rathe Abhängiges, sondern setzt nur fest, wenn die Beamten die geschehene Zahlung nicht aufschrieben oder die Schuld nicht löschten, sei der beeinträchtigte Teil zu einer gerichtlichen Verfolgung derselben durch eine *γραφὴ βουλεύσεως* berechtigt: eine Bemerkung, die, wenn die Sache vor Gericht kam, dem Kläger zu einem günstigen Vorurteil gereicht, indem der Rath die *βούλευσις* schon anerkannt hatte."

attischen Staates, pg. 537): „Wie kann er (der Rat) also eine Buße von 3000 Drachmen androhen? Wohl nur, weil er in dieser Zeit besonders bevollmächtigt war, alles die Eintreibung der Schulden Betreffende zu ordnen und nach seinem Ermessen gegen die beim Schuldwesen vorkommenden Vergehen sowohl der Schuldner als der Beamten Strafen zu bestimmen."

At aliud addam! Cum Aristogitoniae auctor scribat *ἐξαλειφθήσεται νὴ Δία, ὃ δ' ἀντεγγραφήσεται,* pro certo habeo reo eandem multam fisco solvendam imponi, quae in tabula sub eius nomine erat inscripta, qui reum in ius vocaverat. Ergo quod in titulo debetur homini privato, id pendendum est aerario publico in oratione vicesima quinta. Utroque loco summa pecuniae eadem est. Neque minus apparet actionem *βουλεύσεως* intendi magistratibus. Etiamsi Aristogitoniae cum titulo anni 323/322 hae duae res sunt communes, tamen nescio, quomodo illa difficultas modo commemorata sit solvenda. Tantum mihi liceat suspicari illis temporibus instituta publica perturbata et mutata esse. Quid obstat, ne similia, atque Augustus Boeckh de multa a senatu constituta dixit, arbitremur de tota actione *βουλεύσεως,* praesertim cum inter litem Aristogitoniam et annum 323/322, quo compositus est titulus, causa Harpalica acta sit? Sed utut res se habet, spero me ostendisse auctorem orationis vicesimae quintae nullo loco res, quae re vera spectant ad *ψευδεγγραφήν,* transtulisse ad *βουλεύσεως* actionem.

Reliquum est, ut diiudicemus, quae rationes intercedant inter Lycurgi et Demosthenis Aristogitoniam. Quamquam orator ipse in § 54 dicit *ὧν ἠκούσατ' ἄρτι λέγοντος Λυκούργου,* tamen Antonius Westermann[1] contendit Lycurgum fuisse oratorem tam illustrem,

[1] Quaest. Dem. III, pg. 102: „Verum tantam Lycurgus, orator illustris, in re non admodum gravi dicendi materiam reliquerit Demostheni, ut tam amplam secundo loco habere posset orationem?" Demosthenem electum esse a populo *συνήγορον* Antonius Westermann (pg. 101), Hermannus Lipsius (Leipziger Studien VI, pg. 320), Richardus Wagner (pg. 7—10), Hugo Stier (pg. 28—29) negaverunt. Optime de hac re iudicaverunt et Reinholdus Braun (pg. 38—41) et Henricus Weil (Plaid. pol. II, pg. 312), quorum hic adnotat ad verba ... *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὑμᾶς κατατάττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν*: „Le peuple nommait des accusateurs d'office dans les causes très graves; peut-on croire qu'il en ait fait de même pour la cause présente, qui n'était pas une *εἰσαγγελία*, mais une simple *ἔνδειξις*? Westermann le niait et en tirait un argument contre l'authenticité du plaidoyer. Mais on ne saurait rien affirmer à ce sujet; il ne me paraît pas même certain, qu'il s'agisse d'une nomination officielle."

ut Demosthenem secundo loco verba facere opus non esset. Nihilominus ex Dinarchi oratione in Aristogitonem habita cognoscimus illum sycophantam nullo iudicio neque decreto impeditum esse, ne in publicum prodiret civitatemque perturbaret. Quamquam in hac lite a Lycurgo sibi intenta damnatus erat, in contionibus versari non desiit[1]. Porro Antonius Westermann (cf. pg. 73 adn. 1) orationem, quippe quae sit secundo loco habita, putat nimis longam. Eius sententiae assentiri non possum. Dolendum est, quod Lycurgi orationem deperditam cum Demosthenis comparare non possimus. Nihilosetius rem aliquanto expediemus. Nam nonnullas res in oratione vicesima quinta traditas nobis conferre licet cum rebus in Dinarchi opere commemoratis. Cum non defuerint, qui contenderent auctorem vicesimae quintae orationis ex Lycurgi et Dinarchi orationibus plurima hausisse, res et in Demosthenis et in Dinarchi Aristogitonia prolatas examinare praestabit.

Comparemus, quae uterque orator narret de Aristogitonis patre. Auctor orationis vicesimae quintae initio § 54 confirmat ea, quae Lycurgus modo dixerit, vera esse. At quae ipse modo allaturus sit, eiusdem esse naturae (*τὰ λοίπ' ἐνάμιλλα καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως εὑρεθήσεται*). Sequuntur eius rei exempla in §§ 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 63. Proinde hae paragraphi non repetunt facinora iam a Lycurgo dicta, sed nova adiciunt.

Apud Dinarchum (*Κατ' Ἀριστογείτονος* § 8) legimus Aristogitonis patrem, cui erat nomen Cydimachus, capitis damnatum Athenis discessisse. Nec filium patris Eretriae mortui sepulturam curavisse (cf. §§ 14, 18).

In opere Demosthenico patris nomen non commemoratur. At memoriae traditur (§ 54) Aristogitonem Eretriae in vincula coniectum esse. Eius rei testem producit Phaedrum quendam. In Euboea autem patrem solum reliquit. Hunc cum diem supremum obisset, non sepelivit. Denique ad eam impudentiam progressus est, ut eis, qui patris ossa terra condiderant, non modo non funeris sumptus redderet, sed potius propter hos litem intenderet. Hoc loco Aristogitonis patrem Athenis capitis damnatum in Euboeam se contulisse non audimus. Ceterum id ex §§ 65, 77 elucet: *ἀλλὰ κατεγνώκαθ' ὑμεῖς ἐν τουτοισὶ τοῖς δικαστηρίοις αὐτοῦ θάνατον* (§ 77). In § 54

[1] cf. Henricum Weil, Plaid. pol. II, pg. 299.

oratoris parvi intererat singulas res enumerare, at in animo habebat explicare, quomodo Aristogito in ipsum patrem se gessisset. Recte tum demum patris fortunae mentionem fecit, cum Aristogitoni amicitiam Atheniensium ex maioribus non esse contendit (§ 77). At similiter atque Aeschinis vitam privatam in oratione duodevicesima (cf. §§ 257—264) depingit, Aristogitonis flagitia in patrem commissa haec affert:

1. Patrem, cum in exsilio esset, non curavit.
2. Etiam sepulturam patris neglexit.
3. Eis, qui patrem humaverunt, funeris sumptus non reddidit.
4. Immo potius his, qui patri tanta beneficia praestiterunt, litem intendit.

Haec mihi illa ratio Demosthenis videtur esse, qui adversarium omnium hominum pessimum describit. Qui Dinarchi voces § 8 cum Aristogitoniae § 54 comparabit, cognoscet Demosthenem vi atque colore longe superare Dinarchum.

De Phaedro, qui testis inducitur, nihil certi dicere audeo. Fortasse recta sunt, quae Henricus Weil suspicabatur (Plaid. pol. II, pg. 332). At plane reicio eorum sententias, qui putant falsarium hoc vel illud nomen finxisse, ut orationi fidem tribueret. Eiusmodi dicta non prius, quam certis argumentis firmabuntur, probare possum. In § 55 de matre et sorore sycophantae agit. Dinarchus has res omnino praetermittit. Quomodo in matrem se gessisset, iudices iam a testibus compererant (*ὥσπερ ἀρτίως ἠκούσατε τῶν μαρτύρων*). Itaque hanc rem paucis verbis absolvit (*Πρὸς δὲ τῷ τῆς μητρὸς μὴ ἀπεσχῆσθαι τὼ χεῖρε . . .*). De sorore haec exponit: *τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ οὐχ ὁμοπατρίαν μὲν οὖσαν, θυγατέρα ἐκείνης ὁπωσδήποτε γενομένην (ἐῶ γὰρ τοῦτο), ἀλλ' ἀδελφήν γε ἐπ' ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο.* Illa praeteritio (*ἐῶ γὰρ τοῦτο*), postquam uberius iam de aliqua re egit, eadem natura est qua XVIII § 261 (*ἐπειδὴ εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης ὁπωσδήποτε (ἐῶ γὰρ τοῦτο), ἐπειδὴ γ' ἐνεγράφης* cf. Henricum Weil, Plaid. pol. II, pg. 332). De lucro, quod ex illo facinore ceperat, fortasse ei Eunomus frater causam intulit[1]. Frater igitur, qui tum Aristogitonis adversarius erat, ab eius parte hac in lite stat (cf. § 79 *πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς δίδυμος*). Vix credo falsarium finxisse, quae per se minime probabilia esse viderentur.

[1] cf. Weili adnotationem ad § 56.

In §§ 56, 57, 58 accuratissime orator describit, quam impudenter sycophanta consuluerit in Zobiam[1], qua iam antea usus erat. Eum enim, cum ex custodia effugisset, Zobia domi receptum primos per dies abdidit, ne undecim viri eum indagarent. Denique ei, cum Megara fugeret, dedit octo drachmarum viaticum. Has res profert, ut ostendat, quantam gratiam eum illi feminae habere oporteat. Cum his beneficiis a Zobia tributis confert Aristogitonis animum ingratum. Cum illa postea eum in patriam reversum ac gratia populi florentem vituperaret atque de beneficiis a se acceptis moneret, primo verberavit eam, deinde minitatus est, denique domo pepulit. Quin etiam postquam Zobia hanc sycophantae impudentiam cum familiaribus communicavit, eam abduxit ad poletas, ut in servitutem veniret. Quia vero *μετοίκιον* iam solutum erat, fugit servitutem illa femina miserrima. Omnia haec omittit Dinarchus. Henricus Weil (Plaid. pol. II, pg. 332) iure ac merito confirmavit rationem singula quaeque enarrandi Demosthenis esse, non cuiuslibet rhetoris.

At nonnullae res commemorantur, quae pertinent ad res forenses Atheniensium. Sunt illi undecim viri, qui sciscitantur, ubi sit Aristogito, postquam a carcere evasit. Id eorum esse Hermannus Lipsius concedit[2]. Ad hunc locum pertinere videntur, quae Dinarchus paucis verbis scribit in § 14 . . . *καὶ ἀπαχθέντα φυλάξαι οὔϑ' οἱ ἕνδεκα δεδύνηνται οὔτε τὸ δεσμωτήριον.*

Porro in § 58 poletarum mentionem facit, qui peregrinos, quorum *μετοίκιον* solutum non est, sub corona vendunt. Quin res ita se habeat, Hermannus Lipsius non dubitat, sed improbat voces *πωλητήριον τοῦ μετοικίου*[3]. Sane credo vocabulum *τοῦ μετοικίου* huc inrepsisse ex sequenti versu (cf. *αὐτῇ τὸ μετοίκιον κείμενον*)[4]. Neque vero solum poletas testes producit, sed etiam Zobiae patronum (§ 58) et arbitrum eius causae, quam intendit fratri de sorore. Perspicuum est in §§ 56—58 res describi, quas comperire, cum plurimis posteriorum temporum hominibus ignotae essent, eorum nihil intererat. Unde vero falsarius eas hausit? Nonne Demosthenes semper studuit,

[1] cf. Richardum Schläfke, pg. 24.
[2] Das attische Recht und Rechtsverfahren I, pg. 75 et adn. 92.
[3] Das attische Recht und Rechtsverfahren I, pg. 100/101; Leipziger Studien VI, pg. 326/327.
[4] cf. Henricum Weil, Plaid. pol. II, pg. 334.

ut adversarii facinora omnia colligeret atque enarraret, id quod auctor Aristogitoniae maxime curat?

Denique mihi liceat paucis verbis absolvere, quomodo Aristogito in carcere se gesserit (§§ 60—62). Ibi ille sycophanta per dolum eripuit homini Tanagraeo scriptum quoddam. Huius nares, cum eum opprimeret, momordit, ut homo infelicissimus scriptum recuperare desisteret. Cum tam scelestum in Tanagraeum se praeberet, ceteri in carcere inclusi quasi proscripserunt Aristogitonem (§ 61). Id ipsum orator maxime praedicat, ut ostendat illum omnium hominum esse maxime nefarium. Quam copiose hoc loco omnia exposuerit orator, optime cognoscimus ex Dinarchi orationis § 9, ubi Dinarchus scribit sycophantam, cum primum in vincula esset coniectus, se ita gessisse, ut ceteri eum se indignum putarent (*ὅτ' εἰς τὸ δεσμωτήριον τὸ πρῶτον ἀπήχϑη, τοιαῦτα τολμήσαντα ποιεῖν αὐτοῦ ὥστ' ἐκείνους ἀποψηφίσασϑαι μήτε πῦρ ἐναύειν τούτῳ μήτε συσσιτεῖν μηδένα μήτε ϑυσιῶν τῶν γιγνομένων κοινωνεῖν*). Nisi forte respicimus ad verba *ὅτε τὸ πρῶτον ἀπήχϑη* vel *μήτε ϑυσιῶν τῶν γιγνομένων κοινωνεῖν*, locos communes profert Dinarchus. Contra Demosthenes describit primum, quomodo illud discrimen in carcere ortum sit, tum quomodo homo Tanagraeus et Aristogito secum certaverint, tertium quid ceteri captivi de sycophanta nequissimo decreverint. Si igitur alter orator alterius opus excerpsit (id quod ipse non credo), Dinarchum haurire ex oratione vicesima quinta sole clarius est. Neque habemus, quod, cum quid velint vocabula *πρὸς κατεγγύην*[1] non intellegamus, totum opus a Demosthene abiudicemus, praesertim cum illud *πρὸς κατεγγύην* apud nullum alium scriptorem legamus.

Praeterea verba *ἀπεσϑίει τὴν ῥῖνα τἀνϑρώπου* et *οὗ τὴν ῥῖν' ὁ μιαρὸς οὗτος ἐσϑίων κατέφαγεν* risum audientium movisse Antonius Westermann[2] opinatur. Quomodo re vera illud facinus sycophantae fuerit, nescio. Ego quidem suspicor oratorem in hac re depingenda veritatem excessisse. Nihilominus mihi persuasi hanc narratiunculam cum arte pronuntiatam valde iudicum animos delectavisse. His paragraphis, in quibus de vita Aristogitonis Demosthenes egit, per-

[1] cf. Hermannum Lipsius, Leipziger Studien VI, pg. 327; Henricum Weil, Plaid. pol. II, pg. 334.
[2] Quaest. Demosth. III, pg. 100: „Tum quod dicit *καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληϑῆ λέγω, κάλει μοι τὸν ἄνϑρωπον αὐτὸν, οὗ τὴν ῥῖνα ὁ μιαρὸς οὗτος ἐσϑίων κατέφαγεν*, ad risum movendum magis quam ad rem probandam dictum esse apparet.“

tractatis singulisque rebus cum Dinarchi orationis locis collatis efficiuntur haec:

1. Quae traduntur in oratione vicesima quinta, plerumque uberius explicantur quam a Dinarcho.
2. Auctor Aristogitoniae non hausit ex Dinarchi in Aristogitonem oratione.
3. Demosthenes singulas res ab Aristogitone peractas describit, non fugit ad locos communes.
4. Ratio narrandi est Demosthenica.

Ergo quod nihil plane repugnat aliis illius aetatis testimoniis, non habeo, quod Demosthenem orationem composuisse et secundo loco in causa Aristogitonia habuisse negem.

At ea, quae in singulis capitibus eruere studui, paucis verbis complecti mihi liceat. Ac primum quidem vidimus Demostheni libidinem conviciandi insitam fuisse, quae ab eo tempore, quo ei lis erat cum Midia, usque ad causam Aristogitoniam in dies crevit. Aliud accedit. Non modo ille orator praeclarissimus adversarios calumniari non desiit, sed etiam Aeschines vim maledicendi paulatim auxit. Dinarchus utrumque oratorem conviciando superavit. Eloquentia igitur in iudiciis post cladem ad Chaeroneam acceptam magis magisque in peius versa est.

Deinde demonstrare conatus sum dictionem orationis XXV non plane abhorrere a ceterorum Demosthenis operum dictione. Etiam in orationibus XIX et XVIII et multae voces inusitatae inveniuntur et singulae dicendi figurae multis locis exstant. Quamvis hae in Aristogitonia priore saepe supra modum adhiberi videantur, tamen ars eas variandi solum oratore praeclarissimo digna est. Praecipue vero illa fuga trium brevium syllabarum satis ostenditur auctorem orationis neminem esse nisi Demosthenem.

Denique in tertia parte dissertationis de nonnullis rebus, quas cum Demosthenis temporum institutis vel moribus pugnare viri docti putabant, egi, ut exponerem oratorem esse peritum iuris Attici atque institutorum morumque Atheniensium.

Ergo orationem a Demosthene compositam atque habitam esse in ipsa causa Aristogitonia mihi est persuasum.

VITA.

Carolus Henricus Kramer natus sum in vico Grosshennersdorf die quarto mensis Mai anni 1903 patre Henrico, matre Hedwig e gente Palme. Litterarum elementis imbutus per tres annos gymnasium, quod vocatur reale, deinde per sex annos gymnasium Zittaviense frequentavi. Vere anni 1923 maturitatis testimonium adeptus Dresdae sex per menses studiis rerum politicarum me dedidi, deinde bis sex menses studiis philologis, historicis, geographicis Gryphiswaldiae operam dedi, denique quadriennium Lipsiae. Docuerunt me viri doctissimi Dresdenses: Gehrig, Hassert, Holldack, Schippel; Gryphiswaldenses: Braun, Fischer, Kolbe, Latte, Ziegler; Lipsienses: Berve, Bethe, Brandenburg, Goetz, Heinze, Hellmann, Koerte, Koetzschke, Kromayer, Krueger, Lehmann, Litt, H. Meyer, Rumpf, Studniczka. Proseminario philologo interfui Gryphiswaldiae Lattio et Zieglero, Lipsiae Heinzio moderantibus. Benignissime receperunt me in seminarium philologum Bethe, Heinze, Koerte. Praeterea comiter ad seminarium historicum me admiserunt Berve, Brandenburg, Goetz, Hellmann, Koetzschke, Kromayer, ad seminarium paedagogicum Herrle.

Quibus viris humanissimis ex animo gratias ago, praecipue Alfredo Koerte, qui summa cum benevolentia meis studiis favit.